

881  
H 7. Yr

CLASSICS

LIBRARY  
UNIVERSITY OF MICHIGAN  
ANN ARBOR

# SYMBOLA HIPPOCRATEA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES  
RITE CAPESSENDOS

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE  
FRIDERICA GVILELMA BEROLINENSI

SCRIPSIT

OTTO REGENBOGEN  
SILESIENSIS.

---

DIES PROMOTIONIS: DIES XX. M. MAII MDCCCCXIV.

210

De dissertatione probanda ad ordinem rettulerunt:

Hermannus Diels Dr. Prof. publ. ord.

Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff  
Dr. Prof. publ. ord.

Dissertationis cui inscriptum erat: Hippocratis qui fertur De morbo sacro libellus ad codicum fidem recensitus, prolegomenis commentario critico excursibus instructus: ut capita IV b V VII VIII in brevius contracta hic proponerem, philosophorum ordo permisit; reliqua postea publici iuris fient.

CLASSICS

LIBRARY  
UNIVERSITY OF  
BERGAM

26 July 21

PARENTIBVS

S.

unacc



Difficillima illa quaestione quae est de corpore Hippocratico iam ab antiquis temporibus et medicos et litterarum studiosos permultum vexatos esse satis notum est. Sed ea ratione qua plerique usi hanc ad rem pervestigandam accesserunt num quidquam perfici possit, merito dubitaveris, cum quid tandem ad liquidum perductum sit, consideraris. Nam plerumque viri docti nonnullis antiquorum testimoniis atque praecipue Platonis illo notissimo nisi hos vel illos libros magno Hippocrati tribuere conati sunt, atque ita in diversissimas fere inter se partes discesserunt, cum alius alium librum genuinum esse atque Hippocrate dignum proclamaret, prout quisque illius imaginem animo informaverat.

Itaque cum tot viri doctissimi tam saepe frustra quaesiverint, fere dubitandum est, num omnino recte quaesitum sit, id est ita, ut quaestio iis quae suppeditant auxiliis solvatur; quod in praesentiarum saltem fieri non posse crediderim, praesertim cum ne Aristotelis quidem temporibus quidnam a celeberrimo illo medico conscriptum sit, satis notum fuisse e Menoniis excerptis medicis discere liceat. Immo censeo quaerendi ratione paululum immutata rem ita instituendam esse, ut consideremus — quantum fieri potest —, quid libris antequam in bibliothecam Alexandrinam devenirent, acciderit, id est, ut textus quae dicitur historia qualis fuerit ante Alexandrinam aetatem, quam poterimus diligentissime exploremus. Id si contigerit, quonam modo corpus quod dicitur Hippocraticum exstiterit, certius iudicari poterit: atque

tum, si dis placet, num hunc vel illum librum a magno Hippocrate conscriptum esse cum quadam verisimilitudine ponere possimus quaerere licebit.

Ad primam autem illam quaestionem, quae est de textus historia antiquissima, neminem accedere posse patet, nisi antea quid traditum sit optimis codicibus excussis statuerit; tum cuius disciplinae assecla libri auctor fuerit, quando fere et — si fieri potest — ubi liber conscriptus sit, investigarit; denique num et quomodo cum aliis libris ille de quo agitur coniungi possit, intellexerit. Sed ne tum quidem multum sperare liceret, si medicorum libri, postquam in lucem prodierunt, ad verbum descripti, intacti atque integri traditi essent. At contra res se habet. Nam permultas scriptiones — praeter paucas, e. g. librum qui est Περὶ τέχνης et Π. φουσῶν, qui orationis forma defendebantur — ita a medicis adhibitos esse, ut aut excerperentur, mutilarentur, in brevius contraherentur aut augerentur et notis instruerentur satis notum est. Tales igitur in res, praecipue autem in additamenta, quae haud paucis locis deprendere licet, intento animo inquirere opus est, cum inde, quorum hominum in manibus libri versati sint, fortasse cognoscere liceat, atque ita ad antiquissimam textus historiam aliquid conferri possit.

Talibus in quaestionibus quomodo procedendum sit, memorabili exemplo Wilamowitzius docuit commentatione illa Academiae Borussicae relatis<sup>1)</sup> inserta, qua praecipue in libros qui sunt De morbo sacro et De aere locis aquis inquisivit.

Ea autem quam praemonstravit vir doctissimus via paulo longius procedere mihi proposui, qua in re magno mihi usui fuit, quod libri qui est Π. ἱερῆς νόσου textum cum optimorum codicum, Vindobonensis et Marciani dico, exemplis lucis ope expressis, quae Academia Regia Bero-

---

1) Sitzungsberichte der Kgl. Preuß. Akademie der Wissenschaften 1901 p. 1 sqq.

linensis fieri iussit, quibusque ut uterer benigne permisit Hermannus Dilesius, conferre mihi licuit.

Sed priusquam ad ipsam rem accedamus, omnium interpolationum quae vulgo dicuntur duo genera discernenda esse praemonere e re erit, quorum alterum ad hanc quam instituimus quaestionem non multum valet, alterum gravissimum est. Priori enim eae interpolationes tribuendae sunt, quae ita exstiterunt, ut vocabulorum difficultium explicationes, variae nonnullae lectiones, coniecturae a legentibus excogitatae margini primum adscriptae paulatim in ipsum textum irreperent: cuius generis additamenta satis multa felicissime e textu Wilamowitzius eiecit et restant etiam alia, quorum e numero hic quasi in transcurso duo commemorare liceat.

1. Περὶ ἱερῆς νόσου 1 [VI 362, 6 ed. Littr.] haec leguntur:

καθαρμοῖσί τε χρῶνται (χρέονται M) καὶ ἐπαιδιῆσι καὶ ἀνοσιώτατον καὶ ἀθεώτατον πρῆγμα (πρ. om. M) ποιέουσι, ὡς ἔμοιγε δοκεῖ· καθαίρουσι γὰρ τοὺς ἐχομένους τῇ νόσῳ αἵματί τε καὶ ἄλλοισι τοιούτοις ὥσπερ μιάσμα τι ἔχοντας (sic Θ: αἵμασι καὶ τοῖσιν ἄλλοισι τοῖσι τοιούτοις ὥσπερ μιάσμασιν ἔχοντας M) ἢ ἀλάστορας ἢ πεφαρμαγμένους (sic M: πεφαρμακευμένους Θ) ὑπ' ἀνθρώπων ἢ τι ἔργον (ἢ πέργον Θ) ἀνόσιον εἰργασμένους, οὐδ' ἐχρῆν τάντια (τάναντία M) τούτων ποιεῖν, θύειν (om. Θ) τε καὶ εὔχεσθαι καὶ ἐς τὰ ἱρὰ φέροντας ἰκετεύειν τοὺς θεούς.

Quo in enuntiato plane supervacanea esse ἢ τι ἔργον ἀνόσιον εἰργασμένους quivis videt; neque tamen quisquam haec verba delere auderet, quamquam hic toto enuntiato plane idem significatur, quod antea una voce ἀλάστωρ, nisi haberemus Erotiani glossam, sic fere distinguendam (p. 46, 3 sq. Kl.): ἀλάστορες· Βακχεῖος μὲν ἐν πρώτῳ φονεῖς φησιν ἐκ τῆς Εὐριπίδου Μελανίππης λέγοντος (?)· ἴσως ἀλάστορ' οὐκ ἐτόλμησε κτανεῖν (F. T. G.<sup>2</sup> 513 Nauck; ἴσως corruptum videtur)· ἔνιοι δὲ τοὺς ἀνόσιόν τι καὶ μιὰρὸν εἰργασμένους, κὰν μὴ ὦσι φονεῖς, οἷον ἄληστὰ τινα καθ' ὁδοῦς διαπραττόμενοι· παρὰ τὸ ἀλιτεῖν καλοῦνται ὅπερ ἔστιν ἁμαρτεῖν. cf. Galeni Glossar. p. 422 Frz.

Videmus igitur idem fere glossema — videlicet a Bacchii quodam adversario conscriptum (cf. Erotiani praefationem p. 31, 32 Kl.) — quod Erotianus profert, in textum irrepsisse; itaque verba quae sunt: ἢ τι ἔργον ἀνόσιον εἰργασμένους uncis includenda sunt.

Coniectura autem vel varia lectio textui inculcata videtur esse 8 p. 376, 2. 3; nam ea quae tradita sunt recte se habere persuadere mihi non possum; sunt autem haec (inde ab initio p. 374, 21sq.):

Καὶ ὅσα μὲν μικρὰ παιδία (παιδία μικρὰ M) κατάληπτα γίνεται τῇ νόσῳ ταύτῃ, τὰ πολλὰ ἀποθνήσκει, ἦν πολὺ τὸ ρεῦμα ἐπιγένηται καὶ νότιον· (ἔη add. vulg.: om. Θ M) τὰ γὰρ φλέβια λεπτὰ ἐόντα οὐ δύναται παραδέχεσθαι (ὑποδέχεσθαι Θ) τὸ φλέγμα ὑπὸ πάχους καὶ πλήθους, ἀλλὰ ἀποψύχεται καὶ πήγνυται τὸ αἷμα καὶ οὕτως ἀποθνήσκει. ἦν δὲ ὀλίγον ἦ καὶ ἐς ἀμφοτέρας τὰς φλέβας τὸν κατάρροον ποιήσεται ἢ ἐς τὰ ἐπὶ θάτερα, περιγίνονται (περιγίνεται M) ἐπίσημα ἐόντα· ἦ γὰρ στόμα παρέσπασται (παρασπᾶται M) ἢ ὀφθαλμὸς ἢ χεὶρ ἢ ἀρχήν, (ἢ ἀρχήν ἢ χεὶρ M) ὀπόθεν ἂν (ἢπόθεν ἂν Θ) τὸ φλέβιον πληρωθὲν τοῦ φλέγματος κρατηθῆ καὶ ἀπισχνανθῆ (καὶ ἀπισχν. om. M, suppl. in mg.).

Si effugiunt mortem infantes sive in utramque venam sive in alteram utram pituitae fluctio se contulit, semper mortem effugiunt, dummodo ne multum pituitae sanguini occurrerit; tertium enim, quo pituita defluere possit, non datur. Scilicet cur scriptor addiderit καὶ ἐς ἀμφοτέρας — ἐπὶ θάτερα, omnino non intellegitur. Huius autem libri auctorem non eum esse qui otiosis ambagibus gaudeat, quivis opinor concedet.

Quamobrem locum labem aliquam traxisse puto. Neque scio an proponat quispiam, ut deletis ἢ ἐς τὰ ἐπὶ θάτερα scribamus καὶ ἐς ἀμφοτέρας τὰς φλέβας τὸν κατάρροον ποιήσεται; quod sane si ad cogitandi leges iudicatur, bene aptum est, sed cum medici quam de fluctionibus exposuit sententia nullo modo consentit. Ita enim si scribis, consequens est, minus periculosas pituitae fluctiones esse, si in utramque venam defluerunt. At contrariam medici sententiam esse ex iis concludi potest, quae p. 378, 5 sqq.



de apoplexia docuit; accedit quod tum neque illud *ὀπόθεν* *ἄν* (v. 5) satis bene intellegi potest neque ea quae secuntur: *οἷσι δ' ἄν βόρειόν τε καὶ πᾶν ὀλίγον παραρρυῆ καὶ ἐς τὰ δεξιὰ* (non in quamvis partem, sed in dexteram) apta videntur esse. Non igitur talis sententia requiritur qualis est ,in utramque venam', sed ,in alteram utram'. Sed quomodo hanc restituamus? nam *ἐς ἀμφοτέρας* — ἢ deleri omnino non possunt, quod tum verbo finito caremus, et *καὶ [ἐς ἀμφοτέρας τὰς φλέβας] τὸν κατάρροον ποιήσεται [ἢ] ἐς τὰ ἐπὶ θάτερα* vera esse, quis est qui sibi persuadeat? Immo longe aliter huic loco medelam adferendam esse putarim.

Quid enim si ita scribatur: ἢν δὲ ὀλίγον ἢ καὶ <μὴ> ἐς ἀμφοτέρας τὰς φλέβας τὸν κατάρροον ποιήσεται [ἢ ἐς τὰ ἐπὶ θάτερα], περιγίνονται? Haec quidem perturbatio quomodo exstiterit, haud ita difficile est ad explicandum. Nam si genuinum fuit: *καὶ μὴ ἐς ἀμφοτέρας κτλ.* coniectura vel varia lectio fuit: ἢ · ἐς τὰ ἐπὶ θάτερα (cf. 378, 6); quae cum in textum irrepsisset bis idem scriptum erat: quam ob rem *μὴ* deletum est.

Alia hoc loco sciens praetereo, ut ad graviora perveniamus; nam ex additamentis eius modi quantum quidem ad textus fata pertinet, prorsus nihil concludi posse apparet; nimirum talia omnibus fere temporibus addi poterant, neque quicquam de eius qui ea addidit indole statuere licet.

Itaque nunc ad eas notas, ipsa magnitudine plerumque insignes, nos convertamus, quibus ea quae a libri auctore exposita sunt, aut corriguntur aut impugnantur aut amplificantur.

I.

**De notis libro Περὶ ἱερῆς νόσου additis.**

Incipiamus ab eo loco c. 1 (p. 356, 1 sqq.), quo medicus enarrat, quorum animalium a carne magi aegrotos prohibeant quaeque causa cuique praecepto subsit. Verba inde a p. 354, 19 haec sunt: magi τὴν ἴησιν κατεστήσαντο ἐς τὸ ἀσφαλές σφίσιν αὐτοῖσι (ἐωυτοῖσι M), καθαρμούς προσφέροντες καὶ ἐπαιδάς, λουτρῶν τε ἀπέχοντες (ἀπέχεσθαι κελεύοντες M) καὶ ἐδεσμάτων πολλῶν καὶ ἀνεπιτηδείων ἀνθρώποισι νοσέουσιν ἐσθίειν, θαλασσίων μὲν τρίγλης, μελανούρου, (καὶ μελ. M) κεστρέος, [ἐγγέλυος secl. Wil.] — οὗτοι γὰρ (οἱ ἰχθύες add. vulg.) ἐπικαιρότατοί εἰσιν (ἐπικηρότατοι Θ: εἰσὶν ἐπικαιρότ. M) — κρεῶν δὲ αἰγείων (κρέως δὲ αἰγείου M) [καὶ τύρου αἰγείου om. M: secl. vulg. Littré] καὶ ἐλαφείων καὶ χοιρείων [καὶ κυνός secl. Wil.] — ταῦτα γὰρ κρεῶν ταρακτικώτατά ἐστι τῆς κοιλίης (τετρατικώτατα M) — ὀρνίθων δὲ ἀλεκτορίδος (ἀλεκτρονόος M) καὶ τρυγόνος καὶ ὀτίδος (καὶ om., ὠτίδος M), ἃ νομίζεται (ἔτι δ' ὄσα M) ἰσχυρότατα εἶναι, λαχάνων δὲ μίνθης, σκοροδόου, κρομμύων (καὶ κρομμύου M) — ὀριμὸν γὰρ ἀσθενέοντι οὐδὲν συμφέρειν (συμφέρον M) — κτλ.

In his enuntiatis tractandis quamquam plane cum Wilamowitzio consentio, tamen sunt quaedam, quae fortasse consideratione non indigna sunt; quoniam cum enuntiato quod est: ἀπέχοντες . . . , θαλασσίων μὲν κτλ., κρεῶν δὲ κτλ., si comparaverit Π. διαίτης II c. 48 (VI 548 L.) ὅσοι δὲ τῶν ἰχθύων ἐν τοῖσι πηλώδεσι καὶ ὑδρηλοῖσι χωρίοισι τὰς τροφὰς ἔχουσιν, οἷον κέφαλοι, κεστρέες, ἐγγέλυες, primo ad spectu ad eam opinionem quispiam deveniat, ut putet hoc quoque loco non ἐγγέλυος delendum, sed potius scribendum esse: θαλασσίων μὲν τρίγλης καὶ μελανούρου, (λιμναίων δὲ) κεστρέος ἐγγέλυος, cui sententiae fortasse inde auxilium arcessi potest, quod θαλασσίων μὲν — λιμναίων δὲ melius inter se opposita videntur, quam θαλασσίων μὲν . . . κρεῶν δέ. neque tamen hoc verum esse crediderim; primum velim observes semper tria ciborum genera scriptorem

iuxta posuisse: αἰγείων ἐλαφείων χοιρείων · ἀλεκτορίδος καὶ τρουγόνοσ καὶ θτίδος · μίνθης σκορόδου κρομμύων, ita ut suspicari liceat tria quoque piscium genera eum adtulisse. Accedit quod θαλάσσια et κρέα eodem fere modo composita sunt Γοναϊκ. I c. 63 (VIII 128 L.) ἀπεχέσθω δὲ τῶν ἀλμυρῶν καὶ ὀριμέων καὶ τῶν θαλασσίων πάντων καὶ κρεῶν χοιρείων καὶ βοείων καὶ αἰγείων (θείων Θ). Itaque melius esse censeo in Wilamowitzii sententia perseverare, qui anguillam, quod in mari non inveniatur, ab hoc loco alienam esse observavit: nec tamen hoc argumento solo satis confidere liceret: nam vide quae Aristoteles in Anim. historiae Z 14 (569 a 7) exposuit: οἱ μὲν οὖν κεστρεῖσ ἐκ τῆσ θαλάττης ἀναβαίνουσιν εἰς τὰσ λίμνας καὶ τοὺσ ποταμοὺσ, αἱ δ' ἐγγέλυσ τοῦναντίον ἐκ τούτων εἰς τὴν θάλατταν · atque praecipue Athenaei VII 297 c: τῶν θαλασσίων ἐγγέλεων μνημονεύεται Ἐπίχαρμος ἐν Μούσαισ · quam ob rem huic quoque medico fortasse licuit de anguilla marina loqui; sed ni fallor tripartitione de qua supra dixi laesa res conficitur. κεστρέα autem — ne id cuiquam offensionis sit — et in mari et in fluminibus captari constat. cf. Aristot. h. a. 598 a 10. 19; 601 b 21 et Athen. VII 306 e.

ἐγγέλυος autem mentionem huc illatam esse ab homine victus salubris non imperito — ut videtur; sed hac de re postea plura dicenda erunt — mirum non est, cum semel atque iterum in libris Hippocrateis ἔγγελυος et κεστρεός coniuncti adferantur; cf. praeter eos locos, quos supra exscripsi Π. τ. ἐντ. παθ. c. 12 (VII 198 L.) et ibd. c. 30 (VII 246 L.).

Insecuntur haec in Θ: κρεῶν δὲ αἰγείων καὶ τόρου αἰγείου καὶ ἐλαφείων καὶ χοιρίων καὶ κονός. at in M: κρέωσ δὲ αἰγείου καὶ ἐλαφείων καὶ χοιρείων καὶ κονός. Quin recte secluserit Wilamowitzius καὶ τόρου αἰγείου et καὶ κονός, minime dubito. At quaeritur, quod ad rationem quae inter codices intercedat, iudicandam aliquanti momenti est<sup>1)</sup>, num M primitus ab additamento liber fuerit, quod Vindobonensis

1) cf. infra summarium.

textui inculcatum est. Hoc verum esse equidem persuadere mihi non possum. Immo crediderim in quodam exemplari codice M anteriore homoeoteleuto quod dicitur omissis *αἰγείων καὶ τύρου* haec exstitisse: ΚΡΕΩΝΔΕΑΙΓΕΙΟΥ ΚΑΙΕΛΑΦΕΙΩΝΚΑΙΧΟΙΡΕΙΩΝ, quam mendam is qui editionem<sup>1)</sup> paravit ita corrigere studuit: *κρέως δὲ αἰγείου*. Quod cum recentioribus codicibus<sup>1)</sup> nondum satisfaceret, pro *ἐλαφείων ἐλαφείου* scripserunt. Eam ‚emendationem‘ vocabulum *χοιρείων* ideo fugisse verisimile est, quod pro genitivo plurali substantivi τὸ χοιρίον acceptum non male ad *κυνός* quod sequitur aptum esse videbatur. Itaque crediderim *καὶ τύρου αἰγείου* non nisi casu quodam in M deesse; et est hic locus aptissimus, quo quomodo pedemptim textus depravatus sit, intellegere possimus.

Sed priusquam pergam, iam nunc nonnulla, quae postea usui erunt, de additamento quod est v. 3: *καὶ κυνός*, addam.

Nam cum ea quae de carne caprina, cervina, suilla docentur, fere cum solita medicorum sententia congruant cf. Π. διαίτ. II c. 46 (VI 544 L.); Π. διαίτ. δξ. νόθ. c. 49 (I 170 Köhl.); Π. διαίτ. c. 46 (VI 546 L.); Π. διαίτ. δξ. νόθ. c. 50 (I 170 Köhl.); cf. etiam Athen. IX 402 c d; de carne cervina paululum differt Π. διαίτ. c. 46 (VI 546 L.), in carne canina iudicanda, si ad medicorum opinionem spectatur, haud levem differentiam esse, benigne me monuit Dilesius. Atque hoc in praesens paucis exemplis comprobemus; diligenter autem seponenda sunt ea quae passim de carne catulina docentur e. g. Π. παθῶν c. 41 (VI 250 L.); c. 43 (VI 252 L.); Π. διαίτ. II c. 46 (VI 546 L.); Π. νόσων II c. 44 (VII 62 L.); Π. τ. ἐντ. παθ. c. 9 (VII 188 L.); Π. ἀφόρων c. 217 (VII 418 L.). Canina vero caro in libro qui est Π. παθῶν c. 52 (VI 262 L.) sic laudatur: *κρεῶν κουφότατα ἐς τὸ σῶμα κύνεια καὶ ὀρνίθεια καὶ λαγῶα . . .* Π. διαίτης II c. 46 (VI 546 L.) ita describitur: *κύνεια δὲ θερμαίνει καὶ ξηραίνει καὶ ἰσχὺν ἐμποιεῖ, οὐ μέντοι διαχωρεῖ.*

1) cf. infra summarium.

hanc propter siccandi facultatem datur hydropicis: Π. τ. ἐντ. παθ. c. 22 (VII 222 L.) ὕδερως . . . τούτω ξυμφέρει τὴν κοιλίην ξηραίνειν διδόντα . . . ὄψον . . . ὄνου κρέας καὶ κυνὸς τελείου. quin etiam aegrotis profluvio alvi laborantibus ea uti licet: cf. Π. διαίτ. III c. 79 (VI 624 L.).

Itaque si hoc loco carnem caninam quidam iis adscripsit, quibus alvus turbatur, vix solita medicorum sententia adductus hoc fecit; sed aliam quamlibet causam latere fere suspicari licet. Quaenam haec fuerit, postea enucleare conabimur. Illud autem satis constat, complura hoc loco additamenta deprendi posse, adscripta, ut quae deesse viderentur, supplerentur.

Quod si tenemus, haud scio an eodem modo de enuntiato, in quo primus Wilamowitzius merito offendit, iudicaturi simus; neque enim de damno sanando consentio. Nam sane quae in libris manu scriptis leguntur c. 1 (VI 356, 10 L.): ὡς πλέον τι εἰδότες καὶ ἄλλας προφάσις λέγοντες defendi non possunt, et quin aptissimum sit [καὶ] ἄλλως προφάσις λέγοντες nemo dubitabit; sed quomodo ex his illa nasci potuerint quae nunc leguntur, perspicere nequeo; accedit quod vocabulo πρόφασις ita plerumque scriptor uti solet, ut causam veram, non ficticiam indicet. Itaque verisimilius mihi videtur esse hoc quoque loco eiusdem farinae additamentum latere, et seclusis καὶ ἄλλας προφάσις λέγοντες oratio bene currit.

Sed iam ad ea accedimus, quae ad libri qualis nobis traditus est condicionem intellegendam summi momenti sunt; a p. 360, 9 usque ad p. 362, 6 exponitur, qualia morbi signa quibus dis tribuantur. Verba haec sunt:

Ἴσως δὲ οὐχ οὕτως ἔχει ταῦτα, ἀλλ' ἄνθρωποι βίου δεόμενοι πολλὰ καὶ παντοῖα τεχνῶνται (τεχνέονται M) καὶ ποικίλλουσιν ἔς τε τἄλλα (ἄλλα M) πάντα καὶ ἔς τὴν νοῦσον ταύτην, ἐκάστω εἶδει τοῦ πάθεος θεῶ τὴν αἰτίην προστιθέντες. οὐ γὰρ ἄλλα (οὐ γὰρ ἐν, ἀλλά M), πλεονάκις γε μὴν (γε om. μὲν M) ταῦτα μεμίμηται. ἦν μὲν γὰρ αἶγα μιμῆται κῆν βρυχῶνται (sic M: καὶ ἦν μὲν βρύχωνται Θ, omissis reliquis) ἦ (sic Θ: κῆν M) τὰ δεξιὰ σπᾶται (σπῶνται M) μητέρα θεῶν φασιν αἰτίην εἶναι.

ἦν δὲ ὀξύτερον καὶ ἐντονώτερον φθέγγηται, ἵππων εἰκάζουσι, καὶ φασὶ Ποσειδέωνα (em. Wil.: Ποσιδέωνα Θ: Ποσειδῶνα M) αἴτιον εἶναι· ἦν δὲ καὶ τῆς κόπρου (τι add. M) παρίη, οἶα (em. Wil.: ὄσα Θ: ὀ M) πολλάκις γίνεται ὑπὸ τῆς νούσου βιαζομένοισιν, Ἐνοδίη (Ἐνοδείης οὐ, i. e. Ἐνοδείης<sup>ου</sup>, M) πρόσκειται ἡ ἐπωνυμία (προσωνυμία M)· ἦν δὲ πυκνότερον καὶ λεπτότερον (λεπτότη. καὶ πυκνότη. M) οἶον ὄρνιθες, Ἀπόλλων νόμιος, ἦν δὲ ἀφρόν ἐκ τοῦ στόματος ἀφίη καὶ τοῖσι ποσὶ λακτίζη, Ἄρης τὴν αἰτίην ἔχει· οἶσι δὲ (ὀκόσα δὲ M) νυκτὸς δαίματα (δαίμ. νυκτ. M) παρίσταται καὶ φόβοι καὶ παράνοιαὶ καὶ ἀναπηθήσεις ἐκ τῆς κλίνης καὶ φεύξιες ἔξω, Ἐκάτης φασὶν εἶναι ἐπιβολὰς καὶ ἡρώων ἐφόδους.

Ordiamur a fine. Enuntiatum quod est ἦν δὲ πυκνότερον — Ἄρης τὴν αἰτίην ἔχει suo loco haud bene aptum esse Wilamowitzius perspexit; nimirum quia verbum quod est φθέγγηται ex superioribus enuntiatis repetendum est, quamquam intercedit ἦν δὲ καὶ — ἡ ἐπωνυμία. Quod fieri non posse nemo non concedet. Neque tamen deleverim enuntiationem intercedentem; ita enim scriptor rem disposuisse videtur, ut a dis superis inciperet (Μεγάλη Μήτηρ, Ποσειδέων), deinde ad deos inferos pergeret (Ἐνοδίη, Ἐκάτη, Ἡρώες)<sup>1)</sup>. Idem fecit is qui quartum Π. διαίτης librum, qui est de insomniis, conscripsit (c. 89 VI 652 L. cf. ea quae exposuit Dilesius Herm. 45 p. 150; cf. ibd. c. 90 VI 656/8 L.). Haec rerum dispositio interrumpitur enuntiativis quae sunt ἦν δὲ πυκνότερον — αἰτίην ἔχει: quare haec verba delere malim; primitus adscripta erant ei loco quo agebatur de dis superis; tum enim φθέγγηται quod desideramus facile suppleri poterat.

Sed sequitur quaestio de huius capituli initio difficilior. Dissentiunt codices Θ et M maxime ea re, quod alter (M) post μεμίμηται addit ἦν μὲν γὰρ αἶγα μιμήται, alter (Θ) hoc enuntiatum omittit. Hac in re ad iudicium tam certis argumentis firmatum, ut cuivis verum illud esse persuadere possim, non perveni. Sed monendum est

1) deos superos appellavi eos quibus θύεται, inferos quibus ἐναγίζεσθαι. hac de differentia cf. Stengel Kultusaltertümer<sup>2</sup> p. 94. Opferbräuche p. 103/4.

non ita raro in Θ lacunas esse maxime homoeoteleutis effectas<sup>1)</sup>. Quod hunc quoque in locum cadere nemo non videt. Itaque crediderim textum restituendum esse secundum eam lectionem, quam praebet M. Tum fortasse sic procedere licet: tres habemus deos inferos: duos superiores; sed tria signa superis adtributa: ἦν μὲν . . . αἶγα μιμῆται· κῆν βρυχῶνται ἢ τὰ δεξιὰ σπᾶται· ἦν δὲ ὀξύτερον καὶ ἐντονώτερον φθέγγηται: id est tria animalia sacra; capram, leonem (nam leo βρυχᾶται), equum. Equum Neptuno, leonem Magnae Matri sacrum esse, notum est; capram Magnae Matri sacram fuisse nusquam traditur; nam ea quae ex Ps-Luciani libro qui est de dea Syria (c. 49) attulit Dietzius (Ἰπποκράτους περὶ ἰρῆς νόσου βιβλίον rec. Fr. Dietz. Lips. 1827) vix satis idonea sunt, quibus quidquam probari possit et quid ‚aliunde‘ scribens significare voluerit, ignoro; de animalibus Magnae Matri sacris cf. Gruppei Indicem p. 1800 b. s. litt. z. Z.; non nisi hoc de quo agitur loco utitur Wellmannus Fgmte der griech. ärzte I p. 31 adnot. Itaque tertium deum desideramus, cui caprae sacrae sunt. Conferamus iam Euripidis Hippolyt. v. 141 sq.; chorus Phaedram adloquitur: ἦ σὺ γ’ ἐνθεὸς ὦ κόρα, εἴτ’ ἐκ Πανός εἴθ’ Ἐκάτας ἢ σεμνῶν Κορυβάντων φοιτᾷς ἢ ματρὸς Ὀρείας· habemus Pana, Hecatam, Magnam Matrem (cf. Aesch. Agam. 55 sq.). Pani caprae sacrae sunt; cf. e. g. Pausan. I 32, 7. VIII 28, 2. Pan idem morbos, mentis perturbationes, insomnia formidolosa mittit: cf. Rohdei Psyche II<sup>4</sup> 84, 3. Rh. M. 37, 467 a. Hesych. Πανός σκότος· οἶον νοκτερινὰς φαντασίας (Phot. lex. s. v.; Artemidor. II 34. 37); sed etiam morbo mederi potest. Pausan. II 32, 6: Λυτηρίου Πανός ἐστὶν ἱερόν· Τροϊζηνίων γὰρ τὰς ἀρχὰς ἔχουσιν ἔδειξεν ὄνειράτα, ἃ εἶχεν ἄκεσιν λοιμοῦ πύσαντος. Saepe autem cum Magna Matre Pan coniungitur: Pind. Pyth. III 78. fg. 95. 96. (Philostrat. imag. II 12.) cf. Preller-Robert Griech. Mytholog. p. 743. Rohde l. s. c. II<sup>4</sup> 63 a. Itaque initium huius capituli sic instituere velim: ἦν μὲν γὰρ αἶγα μιμῆται . . . κῆν βρυχῶνται

1) cf. infra p. 20 adn. 1.

(βροχᾶται Wil. proposuit.) ἢ τὰ δεξιὰ σπᾶται, μητέρα θεῶν φασιν αἰτίην εἶναι κτλ.<sup>1</sup>).

Sed fortasse etiam nunc scrupulus restat; nam quomodo Arcadiae deum homini Ionico notum fuisse credibile est? Hic quoque scrupulus, spero, dissolvetur, si huic loco glossam restituerimus, quae in Erotiani glossario tradita a viris doctis variis huius libri locis adaptata est; est autem haec (p. 45, 10 sq. Kl.): Ἀνταῖον θεόν (em. Welcker Götterlehre III p. 129 a.: ἀντεόνθεον codd.)· τὸν βλάβης ὑπονοούμενον αἴτιον ἔσσεσθαι ἀνθρώποις (em. Welcker: ἀνθρωπον codd.)· ἀνταῖον δ' ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ τὸν ὀλοόφρονα (em. Welcker: σώφρονα codd.), ὡς καὶ Σοφοκλῆς ἐν Κλυταιμνήστρῳ λέγων· τὸν δὲ ἀνταῖον περιδινέοντα οὐχ ὄρατε (N<sup>2</sup>. p. 204 no 311. corruptus<sup>2</sup>) καὶ δεῖμα πρόσπταιον τόδ' ἀνταίας θεοῦ. Adnotat Kleinius haec: VI 362 L. ubi ἀθεώτατον legitur; ad eundem librum p. 356 L. rettulit Scaliger, ita ut Erotianus ἀνταῖον θεόν pro αἴτιον legerit. Ilbergius in commentatione quae est: Das Hippokratesglossar des Erotian (Abh. d. phil.-hist. Kl. d. Sächs. Ges. d. W. XIV 2) p. 132 ad 358, 3 glossam refert; pro οὐκέτι ὁ θεὸς αἰτίος ἐστίν putat Erotianum et eum qui glossam conscripsit

1) Enuntiatum quod est οὐ γὰρ ἄλλα, πλεονάκις γε μὴν ταῦτα μεμύρηται cum Wilamowitzio deleo — non enim ἀλλὰ sed ἄλλα legendum est; quod cum scribae non agnoscerent, varia suppleta sunt: οὐ γὰρ ἔν, ἀλλὰ M H κ: οὐ γὰρ καθάπαξ, ἀλλὰ Recent. reliqui — sed monere liceat vocibus — γε μὴν non tam gravem suspicionem fortasse moveri; nam compluribus locis in corporis Hippocratici scriptis leguntur: Π. ἄρθρων Kühl. II 135, 8; 194, 12. Π. ἀγμῶν Kühl. II 51, 11; 99, 22; 108, 4. 5. Π. τέχνης 48, 20; 50, 1. 2. G. Κατ' ἰητρ. Kühl. II 35, 9. Epidem. VI 3, 23 (V 304, 4 L.) Π. χυμῶν V 500, 10 L. vulg.: γε om. A. Παραγγελίαι IX 250, 2 L.; 258, 18 L. Π. καρδίης IX 84, 6 L. nonnulla collegerat Kühlewein Diss. Gottg. 1870 p. 6. 9. Herodotus tali particularum coniunctione omnino abstinuisse videtur; nam quod VI c. 128 pro γε μὲν habet L γε μὴν neglegi potest. cf. VII c. 152. 234 cum v. l.; apud posteriores invenitur: cf. Herodas III 11. (Luc.) Π. θεοῦ Συρίης c. 28. (Luc.) Π. ἀστρολογίης c. 14, quae oratio eiusdem γένους νόθος παῖς est, cuius γνήσιος liber Π. τέχνης.

2) quae viri docti temptarint vide apud Wagnerum Fragmenta tragicorum I p. 288 Vratisl. 1852 et apud Nauckium<sup>2</sup> p. 204 no 311.



legisse: οὐκέτι ὁ θεὸς ἀνταῖός ἐστιν. Haec quam incerta sint vel inde cognosci potest, quod omnes viri docti inter se dissentiunt.

Primum igitur quaeramus, quinam di vel deae ἀνταῖος, ἀνταία appellati sint. Notissimum exemplum Hecata praebet. cf. Rohdei Psyche II<sup>4</sup> 82, 4; vocatur autem ita, quod hominibus aut noctu aut sub ipsum meridiem ἀπαντᾷ. Interdum Ἀνταία ipsa daemon est, quam mittit Hecata. cf. Hesych. s. v. ἀνταία. Sed etiam Magna Mater sollemni vocabulo sic appellatur: cf. Apollon. Rhod. Argon. A 1140. Hymn. Orph. 41, 1, quod grammatici variis modis explicare studuerunt: schol. Ap. Rhod. l. c.: ἡ Ῥέα οὕτω λέγεται διότι ἐναντία τοῖς Τελχῖσιν ἐγένετο · ὡς δέ τινες, ἀνταίη ἢ εὐλιτάνευτος καὶ εὐάντητος · quae nota satis exilis suppleri potest ex Etymologico Magno (cf. Reitzensteinii Gesch. d. griech. Etymolog. p. 47. 241): legitur s. v. ἀνταία · ἡ Ῥέα παρὰ τὴν ἄντην · ὅτι τοῖς Τελχῖσιν ἐναντία ἐγένετο · σημαίνει δὲ ἄντην τὸ ἐξ ἐναντίας · ἡ ἀντιάζουσα διὰ τινὰ φαντάσματα καὶ ἔχθρας · καὶ Ἀνταῖος ὁ βλάβης αἴτιος (cf. Erotiani loc.) · Ἀνταία καὶ ἡ Ἐκάτη ἐπιθετικῶς · Διογενιανός, ἰκέσιος. ibid. s. v. εὐάντητος · ἡ Ῥέα · ἀνταίαν γὰρ αὐτὴν ἐκάλουν διὰ τὸ δυσάντητον εἶναι καὶ τοῖς ἀπαντῶσιν ἐν τοῖς ὄρεσιν δυσχεραίνειν · τὸ Νικαδίου ἑπόμνημα Θεοφορουμένης · κατ' εὐφημισμὸν · δυσάντης γὰρ ἐστὶν καὶ ὀργίλη τοῖς ἀντιάζουσιν ἐν τοῖς ὄρεσι κτλ. Igitur ita vocatur quod homines ἀπαντῶσα perterret atque animos perturbat (cf. Robert l. s. c. p. 646. Pausan. VII 17, 12 et Arnob. adv. nat. V 5—7; multa congesta sunt in Roscheri lexico II 1641). Sed eadem morbis mederi potest (cf. C. I. A. 3, 136. ibd. 134. 137 et Diogenem Atheniens. F. T. N<sup>2</sup> p. 776). Quod idem Pan facit qui in montibus potissimum terret homines iter facientes: notum est Philippidis exemplum (Herodot. VI 105/6. cf. Rhesi v. 36 c. schol.). Accedit quod Hecata ἀνταία daemona quandam mittit, quae ipsa ἀνταία appellatur; itaque Pan qui est Magnae Matris κύων vel ὀπαδός (Pind. fg. 95. 96) quidni ἀνταῖος vocari possit? Vel potius ita dicam: fuisse apud Iones deum vel daemona quandam, Magnae Matris comi-

tem, quem Ἄνταϊον nominare solebant, et morbos imprimis mentis hominibus incutere credebant, non aliter atque aliis in regionibus ipse Pan aut Ephialtes idem facere credebantur. Sane, exemplum quo id expressis verbis indicetur, non habeo; tamen fortasse sententia mea a veritate aliena non est, si putem Erotiani Ἄνταϊον θεόν ex nullo alio loco depromptum esse nisi ex hoc, ubi dei cuiusdam nomen desiderari demonstrare conatus sum; neque contra tendit id, quod hunc deum aliunde notum non habemus; nam quam pauca talibus de singularum urbium vel regionum diis sciamus, ex iis discere licet quae Wilamowitzius nuper adnotavit (Nachrichten d. Gesellsch. d. Wissensch. zu Göttingen 1914 n. 2 p. 99/100). Immo his quae exposui quasi fundamento utentes haud scio an longius progressi alteri Hippocratis loco medelam, huic autem novum fulcimentum adstruere possimus. Conclamatus paene locus est in libro qui est Π. ἀέρων c. 3 (I p. 36, 2 Köhl.). In codice V haec leguntur: τοῖσι τε παιδίοισιν ἐπιπίπτειν σπασμοὺς καὶ ἄσθματα ἃ νομίζουσι τὸ παιδίον ποιεῖν καὶ ἰερῆν νοῦσον εἶναι. Sane τὸ παιδίον omnino sententia cassum esse quivis videt. At quod Zwingerus temptavit τὸ θεῖον non satis verisimile mihi quidem videtur; nam vocabulum tam tritum ita corrumpi potuisse persuadere mihi non possum. At quod Littreus Galeni auctoritate usus τὸ παιδίον conservare voluit (cf. quae vol. II p. 18 not. 6 adscripsit), hoc quoque omnino probari non potest. Sed grave est videre, iam Galeni temporibus eodem modo textum corruptum fuisse quo eum, quem manibus tenemus; menda igitur ex antiquo scribendi more explicanda et sananda est; iam sis considera, ΤΟΠΑΙΔΙΟΝ quam prope absit a ΤΟΝΑΝΤΑΙΟΝ; nam ΙΔΙΟΝ et ΤΑΙΟΝ fere idem est et quam facile Π et Ν inter se confundi possint, apparet. Haec quae exposui si vera sunt, locus alter alteri quasi subsidio venit; neque vero tacendum est, Dilesium aliter sentire, qui ΤΟΠΑΙΔΙΟΝ ex ΤΟΤΕΘΕΙΟΝ natum esse censet, quam coniecturam, cum α

et ε, ει et ι tam saepe inter se mutantur, aptam et altera illa fortasse probabiliorem esse negari non potest.

Itaque huius de quo agitur capitis verba sic fere restituenda esse censeo:

Ἴσως δὲ οὐχ οὕτως ἔχει ταῦτα, ἀλλ' ἄνθρωποι βίου δεόμενοι πολλὰ καὶ παντοῖα τεχνῶνται καὶ ποικίλλουσιν ἕς τε τᾶλλα πάντα καὶ ἕς τὴν νοῦσον ταύτην, ἐκάστω εἶδει τοῦ πάθεος θεῶ τὴν αἰτίην προστιθέντες [οὐ γὰρ ἄλλα, πλεονάκις γε μὴν ταῦτα μεμίμηται.] ἦν μὲν γὰρ αἶγα μιμῆται, (τὸν Ἄνταϊόν φασιν αἴτιον εἶναι), κῆν βρουχῶνται ἢ τὰ δεξιὰ σπᾶται, Μητέρα θεῶν φασὶν αἰτίην εἶναι· ἦν δὲ ὀξύτερον καὶ ἐντονώτερον φθέγγηται, Ἴππῳ εἰκάζουσι, καὶ φασὶ Ποσειδέωνα αἴτιον εἶναι· ἦν δὲ καὶ τῆς κόπρου παρίη, οἷα πολλάκις γίνεται ὑπὸ τῆς νόσου βιαζομένοισι, Ἐνοδίη πρόσκειται ἢ ἐπωνυμίη· [ἦν δὲ πυκνότερον καὶ λεπτότερον οἶον ὄρνιθες, Ἀπόλλων νόμιος, ἦν δὲ ἀφρόν ἐκ τοῦ στόματος ἀφίη καὶ τοῖσι ποσὶ λακτίζη, Ἄρης τὴν αἰτίην ἔχει.] οἷσι δὲ κτλ.

Ac ne nunc quidem quaestio quam hoc de capite instituimus ad finem perducta videtur esse. Ut quid sentiam explicare possim, opus est diligenter inquirere in priorum capitum dispositionem. Quam sic constitutam velim:

I. quasi propositio est 352, 1—8. a) hic morbus non magis ad deos pertinet quam reliqui; sed habet et φύσιν et πρόφασιν. b) homines autem eum sacrum esse putant ὑπὸ ἀπειρίας καὶ θαυμασιότητος. 1. ὑπὸ θαυμασιότητος: quod nullius morbi similis est. 2. ὑπὸ ἀπειρίας. α. conservatur τὸ θεῖον, quod quid huic morbo faciant, non habent. β. perit τὸ θεῖον, quod aegrotis mederi student καθαροῖσι et ἐπαιδιῆσιν.

II. insequitur refutatio quae pertinet ad I. b.

a: incipit ab I. b. 1. 352, 8—354, 12. Si morbus sacer est ideo, quod mirabilis est, multi erunt morbi sacri.

b: refutatio pertinens ad I. b. 2. α. 354, 12—358, 1. καὶ κατὰ μὲν τὴν ἀπορίην αὐτοῖσι τοῦ μὴ γινώσκειν τὸ θεῖον διασφύζεται. (352, 5.) cf. praecip. 354, 15 sq. 356, 15—358, 1 quasi adnotatio est, qua de Libyibus et de pecore eorum agitur.

c: refutatio pertinens ad I. b. 2. β. incipit 358, 1 (κατὰ δὲ τὴν εὐπορίην τοῦ τρόπου τῆς ἰήσεως, ᾧ ἰῶνται, ἀπόλλυται sc. τὸ θεῖον 352, 7): 1. 358, 1—5. talia si morbum efficerent, non esset deus huius morbi causa, sed victus: τοῦ δὲ θείου ἀφανίζεται ἡ δύναμις. 358, 5. 2. 358, 6—13. morbum qui tali modo sanare conatur, ne ipse quidem sacrum putare potest; nam morbum qui artificiis quibusdam depellere callet, is poterit etiam efficere; tum non deus, sed homo causa est: 358, 13: καὶ ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ τὸ θεῖον ἀπόλλυται· redit oratio ad 352, 7. 8.

Tum transitione facta 358, 13 sq. τοιαῦτα λέγοντες — ἐς τὸ θεῖον ἀφήκει καὶ δαιμόνιον, postquam huc usque refutavit ea quae magi proferunt, nunc ipse impetum facit in adversarios: καὶ τοι ἔμοιγε . . τό τε εὐσεβὲς καὶ θεῖον αὐτῶν ἀσεβὲς καὶ ἀνόσιόν ἐστιν ὡς ἐγὼ διδάξω· habemus propositionem novam: auctor demonstrare studebit magos illos non pios et religiosos esse, sed impios et deorum irrisores. Hanc partem in tria capita divisit:

I. 358, 18—360, 9 demonstrat eos homines qui magicis artificiis et solem et lunam de caelo detrahunt, impios esse οὔτε εἶργεσθαι ἂν οὐδενὸς τῶν ἐσχάτων ποιέοντες.

II. 362, 6—362, 16 demonstratur etiam καθαρμούς ἀνοσιώτατον καὶ ἀθεώτατον πρῆγμα εἶναι.

III. 362, 16—364, 8 ipse profitetur, nullo modo credere se posse a numine divino homines maculari: finem facit 364, 8: καὶ περὶ μὲν τῶν καθαρμῶν οὕτω μοι δοκεῖ ἔχειν.

Haec omnia plana et perspicua videntur esse; sed inter I et II interpositum est caput illud quod incipit ἴσως δὲ κτλ. (360, 9—362, 6.) quod neque cum antecedentibus neque cum insequentibus bene cohaerere nunc apparere puto. Summa cum vehementia scriptor invehitur in magos: τὸ θεῖον αὐτῶν ἀσεβὲς καὶ ἀνόσιον εἶναι demonstrabit; ne a summis quidem facinoribus tales homines retinere se posse affirmat; nunc quasi reprimit se; leniuntur irae fluctus; ἴσως δὲ οὐχ οὕτως ἔχει ταῦτα? sed quid nobis profert? quales morbi notae quibus dis attribuantur. Crederem hoc tolerari posse, si 362, 6 finem imponeret huic

invectivae, novi aliquid proferre inciperet. Sed brevi remissione quasi reffectus et confirmatus denuo acerbissimis verbis adversarios obruit: καὶ ἀνοσιώτατόν τε καὶ ἀθεώτατον πρῆγμα ποιεῖσιν. Eum hominem qui semper summa constantia quae vera esse putat, libere profatur, qui in deliciis habet illud ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ἐγὼ δὲ δοκέω, qui summo odio obscuros illos viros ἀλαζόνας et ἀγύρτας persequitur, ipse summo verae scientiae studio elatus est, eumne credis in ipsius irae ardore reprimere se atque narrare de morbi notis diis quibusdam attributis? Hac in re praecipue insistendum esse crediderim; nam sicut in poetarum operibus considerandis non modo sententiarum nexum, sed etiam affectuum atque animi motionum cursum sequi opus est, ita etiam in libris prosa oratione conscriptis procedere debemus: neque hoc loco hominem videlicet iratum et valde commotum tales quisquilias expositurum fuisse persuadere mihi possum. Accedit aliud argumentum id ipsum haud parvi aestimandum; scriptor iterum ac saepius profert homines qui tali morbo capiuntur ἀφώνους esse; cf. 374, 1; 380, 5; neque eo loco quo medicus morbi signa enumerat et explicat (372, 5—10) quidquam de clamore profertur; huius autem loci acumen omnino corrui, nisi aegroti ipso sacro morbo capti clamare existimantur.

Itaque paene invitus eo adducor ut credam totum hoc caput 360, 9—362, 6 ita in textum irrepsisse, ut a quodam lectore talium caerimoniatarum haud imperito quique prophetas illos quos a libri auctore nimis vehementer castigatos esse putabat, quodam modo excusare studebat, adscriptum, deinde cum liber cum adnotationibus coniunctus describeretur, in ipsum libri corpus reciperetur. Quod si verum est, adnotata antiquissima esse necesse est; nam Ἄνταϊον illum deum etiam posterioribus hominibus notum fuisse, quis sibi persuadebit? Ea autem vicissitudine quae inter hunc locum et libri II. ἀέρων c. 3 (I 36, 4 Kühn.) interesse videtur — si modo recte conieci — ea quae secludenda esse demonstrasse mihi videor ab omni suspi-

cione defendi cave ne credas; in universum comparanda sunt quae capite tertio de notarum inter se conexu exponam.

Ea autem enuntiata quae supra exsecare conatus sum (360, 13 et 362, 1—3), utrum ab eodem homine addita sint atque 360, 9—362, 6 (neque enim diversis temporibus semel atque iterum eundem hominem nonnulla adscripsisse veri dissimile est) an ab altero, ignoratur. At ab ipso libri auctore haec aut margini adpicta aut in schedis perscripta adposita esse non puto; cui rei quamquam postea cum adnotationum indolem considerabimus alia argumenta suppeditabuntur, tamen iam hoc loco monere a re non alienum est, loquendi consuetudinem paulo diversam esse; utitur adnotator vocibus  $\gamma\epsilon\ \mu\acute{\eta}\nu$ , quae quamquam ab Hippocrateorum usu non alienae, tamen ab ipso libri auctore non adhibentur. Similiter res se habet in vocabulis  $\dot{\iota}\sigma\omega\varsigma$  (360, 9) et  $\pi\lambda\epsilon\omicron\nu\acute{\alpha}\chi\iota\varsigma$  (360, 13); neque vero haec argumenta idonea sunt, quibus res confici possit; nam quamquam apud Herodotum utraque vox deesse videtur<sup>1)</sup>, apud Hippocratem complura exempla inveniuntur. Quaestio in voce  $\dot{\iota}\sigma\omega\varsigma$  ideo difficilis est, quod saepe utrum ‚fortasse‘ an ‚eodem modo‘ significare scriptor voluerit, ambigitur. Sed constat omnium librorum in vocula  $\dot{\iota}\sigma\omega\varsigma$  adhibenda plurimos esse libros Epidemiarum II. IV. VI<sup>2)</sup>,

1) usus sum Schweighäuseri indice; idem de libris I—III confirmat W. Aly, qui haec atque alia quae suis locis adnotata invenies mecum benignissime communicavit; quam ob rem hoc quoque loco viro humanissimo gratias agere liceat (cf. B. Ph. W. 1913 n. 34, 1086). Sed idem nuperrime, qua solet comitate usus, per litteras mihi indicavit  $\dot{\iota}\sigma\omega\varsigma$  exstare apud Herodotum VI 124, 6, sed addidit in posterioribus Herodoti libris vocabula ad Atticorum sermonem magis adaptata mira non esse, cum praesertim de Atticis rebus Atticos auctores secutus ibi loquatur.

2) e quibus haec exempla exscripsi:

Epidem. II L. V p. 74, 18; 88, 7; 92, 15. 16; 116, 4.

Epidem. IV L. V p. 150, 18; 154, 2; 168, 14; 170, 7; 176, 1; 182, 3; 188, 1.

Epidem. VI L. V p. 270, 3; 298, 3; 304, 3. 4; 308, 8; 350, 1; 352, 3.

insequi Προρρητικὸν A et Κωακὰς προγνώσεις: id est saepissime in iis libris reperitur, qui ex magno numero perbrevium notularum constant; quod memoria tenendum est. Neque vero deest ἴσως in aliis libris e. g. Γυναικ. I, Π. ἀφόρων, Π. ἀγμῶν, Π. ἄρθρων, Π. διαίτης ὀξέων etc.; sed raro invenitur.

Similis in πλεονάκις res est. Hoc in libro habes: πολλάκις 354, 11; πλεονάκις 360, 13; πολλάκις 360, 17; id. 380, 4; id. 382, 25 Θ: πλεονάκις M.

Talia adverbia multiplicativa — praeter ea quae ab ipsis numeralibus vocibus derivantur e. g. τετράκις, πεντάκις, ἑπτάκις, δεκάκις — saepissime a stirpibus ὀλίγα et πολλά formantur; eorum quae sunt ὀλιγάκις et πολλάκις innumerable exempla in libris Hippocrateis reperiuntur; πλειστάκις et ἐλαχιστάκις rarius leguntur; semel quantum scio ὀσάκις (Γυναικ. I c. 64 (VIII 132, 15 L.)) et θαμινάκις (Γυναικ. II c. 203 (VIII 390, 3)).

Vocis πλεονάκις exempla in duas partes dividi possunt: primum significatur rem aliquam plus quam semel aut bis etc. factam esse; quae vis vocis propria est: exempla sunt Π. ἀέρ. c. 22 (I 65, 12 Köhl.): δὶς καὶ τρὶς καὶ πλεονάκις. Π. διαίτ. ὀξ. c. 29 (I 123, 21 Köhl.). Alteram notionem saepius habes Π. ἀφόρ. c. 240 (VIII 454, 4 L.). Π. τ. ἐντ. παθῶν c. 9 (VII 186, 25 L.). Aphorism. IV 536, 16 v. l. Epidem. IV c. 57 (V 196, 6 L.). Epidem. VI 8, 29 (V 354, 7. 8 L.).

Itaque haec quaestio satis bonam frugem adhuc non tulit. Sed horum vocabulorum usu insignes esse eas adnotationes quas seclusimus, nos memoria tenere oportet.

Septimo capite describuntur morbi signa et explicantur; quod ut recte fieri possit, exponit auctor quomodo spiritus (πνεῦμα), cum in corpus pervenerit, singulis partibus distribuatur quidque hoc modo efficiat. Pervenit autem pneuma primum in cerebrum; deinde maximam partem in ventrem (κοιλίην), partim in pulmonem, partim in venas. Tum insecuntur haec (p. 372, 17 sqq.): ἐκ τούτων δὲ σκίδναται ἐς τὰ λοιπὰ μέρη κατὰ τὰς φλέβας (τὰ φλέβια

malim) deinde Θ: καὶ ὅσον μὲν ἐς τὴν κοιλίην ἔρχεται, τοῦτο μὲν τὴν κοιλίην διαφύχει καὶ ἄλλο οὐδὲν συμβάλλεται· ὁ δ' ἐς τὸν πλεύμονά τε καὶ τὰς φλέβας ἀήρ ξυμβάλλεται ἐς τὰς κοιλίας ἐσιῶν καὶ ἐς τὸν ἐγκέφαλον ἔρχεται καὶ οὕτω τὴν φρόνησιν καὶ τὴν κίνησιν τοῖσι μέλεσι παρέχει. Aliter M: καὶ ὅσον μὲν ἐς τὴν κοιλίην διαφύχει καὶ ἄλλο οὐδὲν συμβάλλεται· τοῦτο δ' ἐς τὸν πνεύμονα· ὁ δ' ἐς τὰς φλέβας ἀήρ ξυμβάλλεται ἐς τὰς κοιλίας εἰσιῶν καὶ εἰς τὸν ἐγκέφαλον καὶ οὕτω τὴν φρόνησιν καὶ τὴν κίνησιν τοῖσι μέλεσι παρέχει.

Quem locum neque in Θ neque in M sane traditum esse Wilamowitzius primus perspexit; neque enim intellegi potest, quid hoc loco sibi velit ἐγκέφαλος, de quo iam supra egit auctor (v. 15 sq.) neque quid faciamus illis verbis: ἐς τὰς κοιλίας<sup>1)</sup>. Itaque Wilamowitzius ut ita scribamus proposuit: ὁ δ' ἐς τὰς φλέβας καὶ τὸν πλεύμονα ἀήρ [ξυμβάλλεται ἐς τὰς κοιλίας] ἐσιῶν [καὶ ἐς τὸν ἐγκέφαλον ἔρχεται καὶ οὕτω] τὴν φρόνησιν καὶ τὴν κίνησιν τοῖσι μέλεσι παρέχει. Quomodo quin sententiam recte restituerit, omnino dubitari nequit. Sed in verbis quaedam esse, quae mihi minus placeant, non nego; nam si inspexeris ea quae antecedunt: καὶ ὅσον μὲν ἐς τὴν κοιλίην ἔρχεται, τοῦτο μὲν . . διαφύχει, καὶ ἄλλο οὐδὲν συμβάλλεται videbis, duobus verbis ἔρχεσθαι et συμβάλλεσθαι et hic et illic scriptorem usum esse. Quod ab interpolatore ita de consilio institutum esse vix credibile videtur; quare unum saltem verbum conservare malim. Accedit quod sic cogimur duobus locis nonnullas voces e textu eicere, quod displicet. Itaque primum quidem scribere conatus sum: ὁ δ' ἐς τὸν πλεύμονά τε καὶ τὰς φλέβας ἀήρ ξυμβάλλεται [ἐς τὰς κοιλίας ἐσιῶν καὶ ἐς τὸν ἐγκέφαλον ἔρχεται] καὶ οὕτω τὴν φρόνησιν κτλ. Sed offensionem est ὁ δ' ἐς . . ἀήρ quod sic verti necesse est:

1) v. 13 exstant haec: μήτε ἐς τὰς κοιλίας in M: om. Θ; quin recte fecerit, non dubito; neque tamen in eo codice, ex quo Θ descriptus est, haec verba non fuisse existimo; immo vero scribam codicis Θ homoeoteleuto κοίλας — κοιλίας deceptum casu haec omisisse; quod saepe ei accidit: cf. 366, 2; 364, 7. 8; eundem enim qui v. 20 adscripsit ἐς τὰς κοιλίας idem fecisse v. 13 apparet.



*aer iste, qui in venas et in pulmonem init; quem loquendi usum tali scriptori vix impertire nos decet neque καὶ οὕτω tum aptum videtur, quod quid fecerit aer, quam viam confecerit, non describitur. Quare eo perveni, ut aliud temptarem: ὃ δ' ἐς τὸν πλεύμονά τε καὶ ἐς τὰς φλέβας [ἀήρ ξυμβάλλεται ἐς τὰς κοιλίας ἐσιῶν καὶ ἐς τὸν ἐγκέφαλον] ἔρχεται, [καὶ] οὕτω τὴν φρόνησιν κτλ. Tum habemus enuntiatum eodem fere modo formatum quo v. 18: καὶ ὅσον μὲν ἐς τὴν κοιλίην ἔρχεται: quod sic excipitur: ὃ δ' ἐς τὸν πλεύμονά τε καὶ ἐς τὰς φλέβας ἔρχεται. ὅ autem pro ὅσον eodem modo ponitur, quo supra v. 16 se excipiunt: τὸ πλεῖστον μέρος, τὸ δὲ, τὸ δέ; ac ne οὕτω quidem, quod sane vix necessarium est, suspectum videri potest, quippe quod eodem fere modo habeamus 390, 17 sq.: ἐς τὸν ἐγκέφαλον πρῶτον ἀφικνεῖται (sc. ὁ ἀήρ) καὶ οὕτως ἐς τὸ λοιπὸν σῶμα σκίδνεται, quo loco οὕτως idem fere valet quod ἔπειτα. Margini autem inscriptum erat: <ὁ> ἀήρ ξυμβάλλεται ἐς τὰς κοιλίας ἐσιῶν καὶ ἐς τὸν ἐγκέφαλον; quod cum in ipsum textum irrepsisset, καὶ ante οὕτω addito opus erat. Denique quid sibi velint κοιλίαι, enucleare conabor postea, cum de adnotatoris indole agendum erit.*

Transeo ad alterum eiusdem capituli locum qui gravissimam suspicionem mihi movit: p. 374, 11—13. Agit enim scriptor id, ut signa morbi enumerata (372, 5—8) diligenter explicet: ὅπως δὲ τούτων ἕκαστον πάσχει, ἐγὼ φράσω. Nihil autem protulit inter notas morbi de λακτισμῷ. Itaque primo adspectu mirum videri potest, quod 374, 11—13 explicate de hac convulsione exponitur; nec vero hac re multum confidere licet; nam eodem modo dentes confringi hic commemoravit medicus explicatione non addita. Porro satis mira huius enuntiatii forma est, quod in fine additur: διὸ λακτίζει, quae loquendi ratio interpolationem quasi redolere mihi videtur. Altero quoque loco vocabulo διὸ interpolator usus est: 382, 15. Sed etiam hanc suspicionem tollere possis deletis: διὸ λακτίζει. Gravissimum autem argumentum hoc est: omnia alia morbi signa quae exposuit medicus, eo explicare studet,

quod non satis spiritus in corpus aegroti pervenerit: cf. 372, 22: ἐπειδὴν ἀποκλεισθῶσιν αἱ φλέβες τοῦ ἡέρος ὑπὸ τοῦ φλέγματος. 374, 4: τῶν φλεβίων ἀποκλειομένων τοῦ ἡέρος. ibd. 5/6: ὅταν γὰρ τὸ πνεῦμα μὴ ἐσίη ἐς αὐτόν. ibd. 9/10: ὅταν τὸ πνεῦμα μὴ ἐσίη ἐς τὸ σῶμα ὅσον ἐώθει. Sed is qui hanc explicationem conscripsit, non putavit spiritum in corpus non pervenire, sed inesse in corpore; pituita conclusum exitum quaerere; qua re nervorum tensionem fieri. Quas explicandi rationes diligenter discernendas esse docemur Theophrasti fragm. 11, quod adscripsit Wellmannus Dioclis fgmento 57: Π. παραλύσεως III p. 150 W. ὅτι ὑπὸ καταφύξεώς φησιν ὡς κοινῶ λόγῳ φάναι τὴν παράλυσιν γίνεσθαι· καὶ ταύτην οἱ μὲν ὑπο(πέφραγμένου τοῦ) πνεύματος (suppl. Kalbfleisch) — πνευματικὸν γὰρ τὸ πάθος — οἱ δὲ ἐκλείψει καὶ στερήσει τοῦ πνεύματος· τοῦτο γὰρ εἶναι τὴν θερμότητα καὶ τὴν κίνησιν ὅλως ποιοῦν. Redibo hunc ad locum cum in adnotatoris disciplinam inquirendum erit.

Itaque versus 374, 10—13 non ab ipso libri auctore conscriptos esse credo. Neque casu factum esse persuasum habeo iis quoque versibus quos supra p. 10 secludere conatus sum (p. 362, 1--3) de pedum convulsione mentionem fieri. Nonne veri simile est eundem hominem qui ibi cui deo hoc signum tribueretur, exposuit, hic explicationem magis ad artis medicae leges adaptatam adposuisse? Qui quidem — si verum id est — non idem potest esse atque libri auctor, cum medicinae disciplinam paulo diversam secutus sit.

Nunc priusquam ad ultimum locum et ipsum gravem et valde difficilem transeamus, quae de p. 384 v. 12 sententiam, quasi in transcurso paucis proferam. Wilamowitzius seclisit καὶ γὰρ ἐξ αὐτῶν τῶν ἀνθρώπων (sic Θ); maxime opinor copula καὶ γὰρ admonitus, quae sane recte se habere non potest. Nam καὶ γὰρ vocibus duae sententiae ita conectuntur, ut causa, quae ipsa plana et perspicua est, priori enuntiato addatur. Quod hoc loco omnino fieri non potest. Sed in M deest illud γὰρ. Id autem ex antecedentibus verbis ἐκκρίνει γὰρ ἐξ ἀπάντων κτλ. huc falso

intrudi non potuisse affirmare vix quisquam audebit; nec, si scribimus καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἀνθρώπων, διὸ ὑγιηρότατός ἐστι τῶν ἀνέμων quidquam est, quo offendamur. Itaque omnia quae tradita sunt conservare malim, quamquam exoptatissimum mihi esset, si hoc loco additamentum deprendere liceret; nam tum v. 11—13 et Π. ἀέρων p. 44, 12 sqq. Kühll. inter se comparatis vix dubitare possemus, quin is qui haec addidit libro Π. ἀέρων usus sit. Quod in gravissima quaestione, quam nunc de p. 364, 15—366, 4 institui necesse est, multum nos adiuvaret. Sed ad hanc accedere non possumus, nisi antea quam brevissime cum de ratione quae inter libros Π. ἰ. v. et Π. ἀέρων intercedat, tum de locis illis ad verbum inter se congruentibus in universum disputavimus.

Hac de ratione iam antiquis temporibus viri docti diversa sensisse videntur<sup>1)</sup> neque magis nostra aetate consenserunt<sup>2)</sup>; attamen si et disciplina et verborum usu<sup>3)</sup> et loquendi colore hos duos libros optime inter se congruere animadverteris, difficile esse mecum iudicabis non

1) Erotianus et Soranus utrumque librum Hippocrati tribuisse videntur; ille enim et hunc et illum in lexico adhibuit; de Sorano autem vide Wellmannum *Fragmente der griech. ärzte* I p. 6; Herm. 36 p. 154. Contra Galenus spurium esse librum Π. ἰ. v. iudicavit; cf. scholion in cod. Marciano adscriptum: οὐ γνήσιον Ἰπποκράτους· ἀξιολόγου δὲ ἀνδρός, φησὶν ὁ Γαληνός, καὶ κατὰ τὴν ἐρμηνείαν καὶ κατὰ τὴν διάνοιαν. Ἰπποκράτους δὲ οὐδὲν ἐν αὐτῷ οὔτε κατὰ τὸν τρόπον τῆς ἐρμηνείας οὔτε κατὰ τὸ τῆς διανοίας ἀκριβές. parum recte hoc de scholio sensisse videtur Harries *Tragici Graeci qua arte usi sint in describenda insania*. Diss. Kiloni. 1891 p. 45/46.

2) cf. Littré vol. I p. 352/3. Ermerins in editionis praefatione. Ilberg *Studia Pseudhippocr.* p. 8. 22; Harries l. s. c. p. 42—51; Friedrich *Hippokr. untersuchg.* p. 32 a 2; Jacoby Herm. vol. 46 p. 518.

3) tamen monitu non indignum videtur praeter pusilla quaedam quibus non multum confidere licet, cum libri diversissimis bonitate codicibus traditi sint, duas praecipue proprietates inveniri, quae non satis congruant.

1. ἐξαίφνης habes in libro Π. ἰ. v. semel: 372, 11; incertum est 378, 20; in libro Π. ἀέρων sexies; ἐξαπίνης in l. Π. ἰ. v. quater invenitur; in l. Π. ἀ. omnino deest; id eo magis mirum est, quod ἐξαπίνης vere

amplecti Wilamowitzii sententiam, qui utrumque ab eodem homine conscriptum esse significavit<sup>1)</sup>.

Ei sententiae inde auxilium inveniri posse videtur, quod in utroque libro tribus locis eadem similibus aut interdum iisdem verbis proferuntur; nam eundem hominem ea quae praecipue cordi erant occasione data compluriens tractasse minime mirum est; sed cum uno loco qui est libri Π. ἰ. ν. p. 364, 15—366, 4 ~ Π. α. 56, 10 sq. + 65, 20 sq. gravissima difficultas existere videatur, omnes accurate considerandi sunt.

Ionicum videtur esse; cf. etiam Lobeck Phrynich. p. 18; apud Herodotum quantum scio non legitur (idem de ll. I—III adfirmat W. Aly; Schweighäuseri indice usus sum; cf. Broschmann Zwickauer programm 1898 p. 4 et 32); apud Homerum rarissimum est; sed legitur P 738. φ 14. ἐξαπίνης saepe. Hippocrateorum usus non sibi constat: solum ἐξαπίνης exstat in ll. Π. ἄρθρων. Π. ἀγμῶν. Π. παθῶν. Π. διαίτης. Π. φύσιος ἀνθρώπου. Γυναικ. Π. Π. ἀφόρ. Προορ. Π. Π. ὄψιος. Π. ὅστ. φύσιος. Π. γονῆς. Π. νόσ. IV. Solum ἐξαίφνης: Epidem. I. III. Π. ἀέρων. Π. φουσῶν. Π. χυμῶν. Προορ. I. Π. νόσ. III. Π. φύσ. παιδ. Π. ὀκταμήν. Μογλικόν. Neque vero desunt in quibus utrumque invenitur: Π. ἰ. ν. Π. διαίτης ὅξ. et νόθ. Epid. II. VI. VII. Γυναικ. I. Ἀφορισμ. Κφακ. προορ. Π. τόπων τ. κ. ἄνθρ. Itaque hac quoque ex re concludi vix potest libri Π. ἰ. ν. auctorem diversum esse ab eo qui Π. α. composuit. Sed alia quaedam differentia est, cui quid faciam nondum satis scio. Notio vocabuli *plerumque* in libris Hippocrateis innumerabilibus fere locis — neque volo omnem quam collegi farraginem hic effundere — exprimitur aut ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ἐπὶ τὸ πολὺ, τὸ πολὺ, ὡς τὰ πολλὰ, τὰ πολλὰ: eodem modo res in libro Π. ἰ. ν. se habet; neque huius consuetudinis exempla desunt in libro Π. α. cf. 20, 13; 39, 1; 39, 18; 40, 1 Kühl. Sed praeter hunc invenitur longe diversus loquendi usus: habes ὡς ἐπὶ τὸ πλῆθος 37, 19; 56, 14; et ἐπὶ τὸ πλῆθος 35, 17; 70, 7. Atque hoc fere nusquam in Hippocrateis invenitur. Sed cf. Γυναικ. I c. 4 (VIII 26, 13 L.) ἐπὶ τὸ πλῆθος; c. 65 (134, 11 L.) τὸ πλῆθος et Π. τῶν ἐντὸς παθῶν c. 19; 29; 46 (VII 214, 5; 242, 23; 280, 1 L.), sed semper hic eodem modo adhibitum: τὰ μὲν ἄλλα πάσχει πλῆθος τὰ αὐτὰ τοῖσι πρόσθεν aut similiter; ubi fere de significatione dubitaveris; cf. De ὡς ἐπὶ τὸ πλῆθος Pollux IX 152/153; apud Aristotelem legitur de gen. anim. c. 6 (768 a 35), apud Platonem Phaedr. 275 b. Pol. II 364 a. cf. Meineke fgmta comic. III 407.

1) S. B. A. 1901 p. 15 et adn. 2.

1. Cum Pl. i. v. 384, 11 sq.: ἐκκρίνει γὰρ ἐξ ἀπάντων τὴν νοτιῶδα καὶ τὸ ὄνοφερὸν καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἀνθρώπων· διὸ ὑγι-  
ρότατός ἐστι τῶν ἀνέμων. ὁ δὲ νότος . . . v. 17. διαλύει. τὸ  
δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ τὴν γῆν ἐργάζεται καὶ τὴν θάλασσαν καὶ πο-  
ταμοὺς καὶ κρήνας καὶ φρέατα καὶ ὅσα φύεται καὶ ἐν οἷσί τι ὑγρὸν  
ἐστιν (ἔνεστιν M)· ἔστι δ' ἐν παντί, ἐν τῷ μὲν πλεόν, ἐν τῷ δὲ  
ἔλασσον.

componendus est Pl. a. 44, 9 sq.: ἀνάγει δὲ (sc. ὁ ἥλιος)  
τὸ τοιοῦτο οὐκ ἀπὸ τῶν ὑδάτων μόνον τῶν λιμναίων, ἀλλὰ καὶ  
ἀπὸ τῆς θαλάσσης καὶ ἐξ ἀπάντων ἐν ὁκόσοισι ὑγρὸν τι ἔνεστιν·  
ἔνεστι δὲ ἐν παντί χρήματι· καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἀνθρώπων ἄγει τὸ  
λεπτότατον τῆς ἰκμάδος καὶ κουφότατον· τεκμήριον δὲ μέγιστον κτλ.

Ea igitur re consentiunt quod in omnibus rebus umidi  
aliquid inesse uterque censet. Praeterea in Pl. i. v. id  
quod in Pl. a. de solis vi praedicatur ad boream trans-  
latum est. Et concedendum est eum qui Pl. i. v. scripsit,  
sive idem sive alius fuit, iis sententiis quae ibi prolatae  
erant, satis libere usum esse. Accedit aliud quod men-  
tione dignum est. Quam ob rem etiam ea quae in Pl. a.  
antecedunt exscribam p. 44, 4 sq. Köhl.: τὴν τε γὰρ ἀρχὴν  
ὁ ἥλιος ἀνάγει καὶ ἀναρπάζει τοῦ ὕδατος τὸ λεπτότατον καὶ κου-  
φότατον· ὁ δὲ ἄλλος οἱ ἄλλες ποιέουσι· τὸ μὲν γὰρ ἀλμυρὸν λεί-  
πεται αὐτοῦ ὑπὸ πάχους καὶ βάρους καὶ γίνεται ἄλλες, τὸ δὲ  
λεπτότατον ὁ ἥλιος ἀναρπάζει ὑπὸ κουφότητος· ἀνάγει δὲ τὸ  
τοιοῦτο οὐκ ἀπὸ τῶν ὑδάτων μόνον κτλ. ut supra; addenda  
sunt haec: p. 45, 5—7.: γλυκαίνεται ὑπὸ τοῦ ἡλίου καιόμενόν τε  
καὶ ἐψόμενον· γίνεται δὲ καὶ τᾶλλα πάντα ἐψόμενα αἰεὶ γλυκύ-  
τερα. Quibuscum si comparaveris Diog. Apoll. Vors. I<sup>2</sup>  
51 A 17: Διογένης δὲ καὶ τῆς ἀλμυρότητος ταύτην τὴν αἰτίαν  
λέγει ὅτι ἀνάγοντος τοῦ ἡλίου τὸ γλυκὺ τὸ καταλειπόμενον καὶ  
ὑπομένον ἀλμυρὸν εἶναι συμβαίνει, verisimile esse concedes,  
hoc loco auctorem libri Pl. a. Diogenis doctrinam secutum  
esse. Is autem, ut saepe fecit<sup>1)</sup>, Anaxagoram compilasse  
videtur; cf. Vors. I<sup>2</sup> 46 A 90: Ἀναξαγόρας τοῦ κατ' ἀρχὴν λι-  
μάζοντος ὑγροῦ περικαέντος ὑπὸ τῆς ἡλιακῆς περιφορᾶς καὶ τοῦ

1) Simplic. physic. 25, 1. Vors. I 51 A 5.

λεπτοτάτου ἑξαμισθέντος εἰς ἀλουκίδα καὶ πικρίαν τὸ λοιπὸν ὑποστῆναι (cui placito Dilesius locum quem e Π. ἀ. attuli adscripsit). Quodsi videmus auctorem libri Π. ἀ. in his rebus alium auctorem secutum esse, nonne verisimile est etiam quae secuntur atque cum illis arte cohaerent inde desumpta esse? Tum autem illa doctrina quae est de umido omnibus rebus insito et hic et illic ex eodem fonte petita esse potest. Et si, cum umidi e rebus extrahendi vim a sole ad boream transferret, sive ipse id invenit sive ab auctore quem secutus est sumpsit, in hac re describenda similibus verbis usus est, opus non est eum de loco qui est in libro Π. ἀ. cogitasse, sed e communi uterque fonte hausisse potest. Itaque hic locus ut ita dicam ἀδιάφορος est.

2. Alterum locum habemus Π. ἀ. 64, 15: ἐμοὶ δὲ καὶ αὐτῷ δοκεῖ ταῦτα τὰ πάθηα θεῖα εἶναι καὶ τᾶλλα πάντα καὶ οὐδὲν ἕτερον ἑτέρου θειότερον οὐδὲ ἀνθρωπινώτερον, ἀλλὰ πάντα ὁμοῖα καὶ πάντα θεῖα. ἕκαστον δὲ αὐτῶν ἔχει φύσιν τὴν ἑωυτοῦ καὶ οὐδὲν ἄνευ φύσιος γίνεται.

cp. Π. ἰ. ν. 394, 12: ταῦτα δ' ἔστι θεῖα, ὥστε μὴ δεῖν ἀποκρίναντα τὸ νόσημα θειότερον τῶν λοιπῶν νομίσαι, ἀλλὰ πάντα θεῖα καὶ πάντ' ἀνθρώπινα. φύσιν δὲ ἕκαστον ἔχει καὶ δύναμιν ἐφ' ἑωυτοῦ κτλ.

Vides utroque loco eandem sententiam — omnes morbos quodammodo a divino numine mitti, cum divinum numen idem sit quod φύσις — verbis paululum diversis exponi; utrique loco sententia bene apta est (auctor libri Π. ἰ. ν. iam 364, 11/12 de hac peroratione cogitasse videtur) neque est cur ab eodem homine eandem sententiam, quam adamaverat, bis similibus verbis expositam esse negemus. Quam ob rem hoc loco ea sententia, quam supra de librorum consensu protulimus, confirmari videtur.

3. Sed tertius locus restat, de quo satis intricata quaestio oritur; neque enim reliquis duobus consimilis est. Facere non possum quin omnia exscribam. Habemus in libro Π. ἰ. ν. haec: 364, 15 sq.: ἄρχεται δὲ (sc. epilepsia) ὥσπερ καὶ τᾶλλα νοσήματα κατὰ γένος· εἰ γὰρ ἐκ φλεγματώδους

φλεγματοῦδης καὶ ἐκ χολώδεος χολώδης γίνεται, καὶ ἐκ φθινώδεος φθινώδης καὶ ἐκ σπληνώδεος σπληνώδης, τί κωλύει ὅτι πατήρ ἢ μήτηρ εἶχετο, τούτω τῷ νοσήματι καὶ τῶν ἐκγόνων ἔχεσθαί τινα; ὡς ὁ γόνος ἔρχεται πάντοθεν τοῦ σώματος, ἀπό τε τῶν ὑγιερῶν ὑγιερὸς καὶ ἀπὸ τῶν νοσερῶν νοσερός. ἕτερον δὲ μέγα τεκμήριον ὅτι οὐδὲν θειότερόν ἐστι τῶν λοιπῶν νοσημάτων· τοῖσι γὰρ φλεγματοῦδεσι φύσει γίνεται· τοῖσι δὲ χολώδεσιν οὐ προσπίπτει· καίτοι εἰ θειότερόν ἐστι τῶν ἄλλων, τοῖσι πᾶσιν ὁμοίως ἔδει γίνεσθαι [τὴν νοῦσον ταύτην], καὶ μὴ διακρίνειν μήτε χολώδεα μήτε φλεγματοῦδεα.

in libro Π. ἀ. haec: auctor macrocephalos ipsa natura gigni exponens p. 56, 10 sqq.:

ὁ γὰρ γόνος, inquit, πανταχόθεν ἔρχεται τοῦ σώματος ἀπό τε τῶν ὑγιερῶν ὑγιερὸς ἀπό τε τῶν νοσερῶν νοσερός. εἰ οὖν γίνονται ἐκ τε φαλακρῶν φαλακροὶ καὶ ἐκ γλαυκῶν γλαυκοὶ καὶ ἐκ διεστραμμένων στρεβλοὶ ὡς ἐπὶ τὸ πλῆθος, καὶ περὶ τῆς ἄλλης μορφῆς ὁ αὐτὸς λόγος, τί κωλύει καὶ ἐκ μακροκεφάλου μακροκέφαλον γίνεσθαι; Π. ἀ. 65, 20: τοῦτο δὲ πάσχουσιν Σκυθέων . . . οἱ εὐγενέστατοι . . ., οἱ δὲ πένητες ἦσσαν. καίτοι ἐχρῆν, ἐπεὶ θειότερον τοῦτο τὸ νόσημα τῶν λοιπῶν ἐστίν, οὐ τοῖς γενναιοτάτοις τῶν Σκυθέων καὶ τοῖς πλουσιωτάτοις προσπίπτειν μούνοις, ἀλλὰ τοῖς ἅπασιν ὁμοίως κτλ.

Hos locos inter se cohaerere atque alterum non sine alterius cognitione conscriptum esse, nemo non videt. Atque eum qui libri Π. ἰ. ν. p. 364, 15—366, 4 scripsit, ea quae in libro Π. ἀ. exstabant, imitatum esse, immo compilasse mihi constat. Nam locos qui in libro Π. ἀ. longe inter se distabant in unum contractos esse multo verisimilius est, quam quae in libro Π. ἰ. ν. coniuncta erant a libri Π. ἀ. auctore discerpta esse, praesertim cum in libro Π. ἀ. suo quaeque loco optime apta sint et p. 56, 14 Kühn. idem illud ὡς ἐπὶ τὸ πλῆθος legatur, quod libri qui est De aere proprium esse supra monui. At quam arte is qui p. 364, 15sq. conscripsit alterius vestigia legerit, praecipue ex enuntiato quod est: καίτοι εἰ θειότερόν ἐστι τῶν ἄλλων, τοῖσι πᾶσιν ὁμοίως ἔδει γίνεσθαι [τὴν νοῦσον ταύτην] cognoscere licet, quoniam idem praesens tempus, quod

sane rarum ac paene mirum est, eodem loco in libro Π. ἀ. 1) reperiatur.

Itaque hic locus a reliquis duobus, quos adhuc consideravimus, vel ea re distat, quod ibi eadem sententiae similibus verbis satis libere repetitae erant, hic autem eadem fere verba ex diversis locis coniuncta paene exscripta sunt. Etiam gravius illud est: formam et speciem parentum ad liberos quasi hereditate acceptam saepe transire auctor Π. ἀ. recte et modice observavit. Sed quid alter? Non modo hunc morbum sed etiam reliquos (τᾶλλα) id est omnes morbos ἄρχεσθαι κατὰ γένος contendit, quod, si recte intellego, vult: omnes morbos hereditate liberis a parentibus relinqui. Ergo id quod ibi bene observatum est, hic immodice et absurde fere auctum et dilatatum est. Id si verum esset, ab uno eodemque homine haec excogitata esse vix credibile videretur. Sed ne hac quidem in re satis certo pede insistere licet, cum etiam illum qui Π. ἀ. conscripsit p. 56, 10/12 pronuntiasse videamus semen provenire a sanis sanum, a morbidis morbidum; hoc autem ex principio etiam illa extrema et ultima, quae in libro Π. ἰ. ν. miramur, concludi potuisse negare non licet; atque medicum qui Π. ἀ. conscripsit haec non conclusisse quis est qui spondeat? Quamobrem hac ex

---

1) Wilamowitzius in libro Π. ἰ. ν. delevit: εἰ θειότερόν ἐστι τῶν ἄλλων; sed altero loco eadem temporis offensio est; quam ob rem Jacoby (Herm. 46, 562) ibi quoque ἐπεὶ — ἐστὶν seclisit. Sed vereor ne non recte; nam tum v. 22 προσπίπτειν subiecto caret. Cobetus Mnemosyn. IX p. 80 pro ἐπεὶ proposuit εἴπερ et comparavit Aristoph. equit. v. 848. Sed fortasse in libr. Π. ἀ. omnino nihil mutandum est, et quamquam plerumque lubricum et futille est, de ironia quadam cogitare, tamen non possum, quin ad hanc explicandi rationem confugiendum esse putem. Nam bis eadem de causa idem enuntiatum delendum esse persuadere mihi non possum; cf. de hoc construendi genere Plat. Apol. 33 d; similis, sed inversa res est apud Hipponem Vors. I<sup>2</sup> 26 B 1 p. 226, 4. cf. Diels Berl. S. B. 1891, 579. Sed in loco libri Π. ἰ. ν. altera offensionis causa est; nam θειότερόν ἐστι non bene congruere cum τὴν νοῦσον ταύτην monuit Wilamowitzius: sed huic offensioni mederi possis seclisis τὴν νοῦσον ταύτην quibus facile caremus.



diversitate neque librum Π. ἰ. ν. non a libri Π. ἀ. auctore conscriptum esse concludere licet neque, si hoc teneas, hoc solo argumento nisum statuere libri Π. ἰ. ν. 364, 15—366, 4 genuina non esse, sed postea adscripta in textum devenisse. At accedunt hanc ad sententiam confirmandam argumenta nec pauca nec levia; nam quod ad compositionem pertinet, libri Π. ἰ. ν. cc. 2—5 salebrarum plena sunt, neque scio an iam Wilamowitzius his in angustiis laboraverit, quippe qui p. 368, 10 τοῖσι δὲ χολώδεσιν οὐ deleverit (p. 7) scribens: *der gegensatz der galle zerstört den fortschritt der deduction*. Itaque ab initio capitis alterius sententiarum nexum persequi conabor.

364, 8 medicus invectivam finivit: καὶ περὶ μὲν τῶν καθαρμῶν οὕτω μοι δοκεῖ ἔχειν· ad ea quae in cap. I. proposuerat rediit; tum novam propositionem adnectit: significat se de φύσει et προφάσει morbi disputaturum esse (v. 11); atque in universum hoc capitibus insequentibus fit. Pergit autem v. 15: ἄρχεται δὲ ὡσπερ καὶ τᾶλλα νοσήματα κατὰ γένος· neque quin hoc loco de φύσει exponere incipiat, dubitamus. Censet autem omnes morbos hereditate tradi et argumentum addit: semen e sanis sanum, e morbidis morbidum. Tum satis abrupte de via deflectit: aliud argumentum inventum esse quo demonstrari possit, hunc morbum non magis sacrum esse quam reliquos. Intellegi hoc potest in homine propositi tenaci et superstitioni infestissimo (cf. p. 382, 23; 382, 10 non satis certum). Quidnam est hoc argumentum? pituitosis hominibus solis haec affectio accidit, biliosis nunquam. Hoc quasi consentaneum et notum sit, argumenti loco adfertur; neque ad id ipsum comprobandum quidquam additur. Clauditur hic excursus p. 368, 5; cui rei particulae ἀλλὰ γάρ in novo proposito afferendo aptissimae sunt. Insecuntur haec: ἀλλὰ γάρ αἴτιος ὁ ἐγκέφαλος τούτου τοῦ πάθους, ὡσπερ τῶν ἄλλων νοσημάτων τῶν μεγίστων· ὅτι δὲ τρόπον καὶ ἐξ αἴτης προφάσιος γίνεται, ἐγὼ φράσω σάφα. Quae quomodo intellegenda sint, quaeritur. Quaeritur enim utrum ad γίνεται suppleamus τοῦτο τὸ πάθος an αἴτιος γίνεται ὁ ἐγκέ-

φαλος. Illud mihi quidem multo facilius et melius videtur; si suppleendum esset αἴτιος γίνεται ὁ ἐγκέφαλος, malim γίνεται deesse. Sed si supplemus τὸ πάθος, tum res mira fit. Habemus hic propositionem qua auctor perspicue de φύσει et προφάσει huius morbi acturum se esse expressis verbis promittit. At si recte intelleximus de φύσει iam p. 366, 15 agere coepit? Notata hac difficultate pergamus. Sequitur cerebri descriptio et venarum situs; explicatur respiratio; finis imponitur huic digressioni p. 368, 8: περὶ μὲν τῶν φλεβῶν οὕτως ἔχει. Quid tum? ἡ δὲ νοῦσος αὕτη γίνεται τοῖσι φλεγματίησι, τοῖσι δὲ χολώδεσιν οὔ. Quid igitur? Id iterum hoc loco profertur; atque ita profertur, quasi plane novum sit? Neque tamen enuntiatum quin huic loco aptissimum sit, dubitari potest; nam exponitur eo quod insequitur capite, quomodo cerebro non satis purgato hominis natura pituitosa fiat et quomodo accidat, ut pituitosi epilepsiae obnoxii sint. Nec minus mira sunt ea, quae tum secuntur: ἄρχεται δὲ φύεσθαι ἐπὶ τοῦ ἐμβρύου ἐν τῇ μήτρῃ ἐόντος. Quod si mente non praeoccupata legimus, nonne putamus nunc primum de morbi φύσει exponi? Dicat quispiam, nonne fieri potest, ut eadem scribendi consuetudine usus quam iam saepius observavimus ad ea quae protulit denuo circuitu facto scriptor redeat? At primum hac explicatione non tollitur ea offensio quae in enuntiato est: ἡ δὲ νοῦσος αὕτη κτλ. nam supra idem enuntiaverat quasi rem notam, ad quam postea redire opus non erat. Sed sane cum Wilamowitzio τοῖσι δὲ χολώδεσιν οὔ delere possumus. Quamquam forsitan interrogarit quispiam, curnam hoc additum sit? Neque ea explicatio ad enuntiationem insequentem satis apta videtur: nam hoc compositionis genus adhibetur, si ad eandem rem scriptor redit; sed tum exspectamus: ἄρχεται δὲ φύεσθαι κατὰ γένος et ut hoc propositum explicetur. At de morbo hereditate accepto postea omnino iam non res est; non ideo in utero infantis cerebrum morbidum fit, quod mater aut pater pituitosus fuit, sed quod cerebrum non satis purgatur; ac nullo modo indicatur cerebrum

ideo non satis purgari, quod pater aut mater natura pituitosa fuit.

Quae difficultates, quas ut satis luculenter exposuerim vereor quaeque mihi quidem gravissimae videntur, omnes uno ut ita dicam ictu de medio tolli possunt, si p. 366, 15—368, 4 secludere animum inducamus. Tum omnia plane decurrere patet. Ac simul quomodo haec adnotatio adscripta et in textum intrusa sit, indicari potest: ad 368, 5 adscripta erant 364, 20—366, 4: ad 368, 6 : 364, 15—20; quae cum hic liber ad edendum praepararetur inverso ordine ita recepta sunt, ut cum praecedentibus satis bene cohaerent, sed cum insequentibus non congruerent. Et quamquam quod ad verborum usum attinet his in versibus nihil est, quod suspicionem movere possit — neque hoc mirum; nam sumpta haec sunt e libro ab ipso libri II. í. v. auctore conscripto — tamen ita rem processisse paene mihi constat.

Quod si verum est, haec fere statuenda sunt:

1. libri qui sunt II. á. et II. í. v. ab uno eodemque homine conscripti sunt.

2. quae sunt in l. II. í. v. p. 364, 15—366, 4 neque suo loco stare neque ab ipso libri auctore conscripta esse verisimile est.

3. id si verum est, addita sunt ab homine quodam qui ipsum librum II. á. manibus tenebat.

---

## II.

### De libri περί ίερής νούσου mantissa.

#### 1.

Altera hac parte in capitum 14—17 a Wilamowitzio suo iure sepositorum (l. c. p. 12) indolem paulo accuratius inquirere mihi proposui.

Atque primum id spectavi, ut cum singulos nonnullos locos quantum possem interpretarer, caverem, ne quaedam quae quidem non plano et perspicuo inter se conexu sunt, sed sana esse puto, in suspicionem vocarentur atque eodem tempore ut cognosci posset his in capitibus non illud sermonis genus liquidum et clarum adhibitum esse, quod in reliquis huius libelli capitibus invenitur; deinde consideremus, quidnam de iis locis sentiendum sit, qui viris doctis offensionem fuerunt.

Praecipue ea quae c. 14 et 15 exponuntur recte intellegi non possunt, si cum Littreo post 388, 11 capiti finem imponas; sic enim rerum conexum et progressum constituendum esse putarim. Ex eodem loco hominibus gignuntur

et a) voluptatis et doloris affectus (386, 15—17),

et b) φρόνησις ἀκοή ὄψις διάγνωσις (v. 17—22),

et c) μανία, παραφρόνησις — δείματα, φόβοι, ἀγρυπνίαι, πλάνοι, φροντίδες, ἀγνωσίαι, ἀηθίαι (386, 22—388, 3).

Ea quae nunc insecuntur, non applicantur ad a aut b, sed ad c solum: explicantur cerebri passiones (388, 3—6) quae fiunt aut<sup>a)</sup> calore aut<sup>b)</sup> frigore aut<sup>c)</sup> umiditate aut<sup>d)</sup> siccitate. Quibus qualitatibus quaenam passiones excitentur, tum exponitur: initium fit a mania; cuius causa est<sup>c)</sup> umiditas; umiditate cerebrum movetur; cum movetur, recte sentire homo non potest. Sed quibusnam rebus umiditas<sup>1)</sup> procreatur? pituita aut bile; quid intersit inter eos qui pituita dementes sunt eosque qui bile,

---

1) v. 12 διαφθορή in omnibus bonis codd. est (Θ M et Palatinus 398 Vaticanus 276 epistulae 19; contuli exempla lucis ope expressa; M epist. habet διαφ<sup>Θ</sup>ορά), nihil hac de re adnotat novissimus editor Gualtharius Putzger qui in Programmate Wurzeni 1914 edito, quod benigne mihi transmisit, epistularum textum ad codicum fidem recensitam publici iuris fecit. Magis perspicue scriptor locutus esset, si γίνεται δὲ ἡ ὑγρότης vel tale quid scripsisset. Sed cum ὑγρότητι illa sensus cerebri omnino corrumpatur, mirum videri nequit eum vocabulo διαφθορή paulo liberius enuntiata coniunxisse.

exponitur. Finitur maniae explicatio v. 16: ἤν μὲν οὖν ξυνεχῶς μαίνωνται, αὐται αἱ προφάσιές εἰσιν.

Tum medicus se convertit ad timores et terrores explicandos. Causa est commutatio: commutationis causa<sup>a)</sup> calor: caloris bilis.

Dolorum et taedii causa est<sup>b)</sup> frigus: frigoris causa pituita.

Habuimus adhuc umiditatem (c) calorem (a) frigus (b). Siccitatem desideramus, neque vero quidquam de hac profertur, sed redit scriptor ad a: quomodo calore etiam nocturni timores et terrores efficiantur, statuit. Qui calor fit aut bile aut — novum hoc est, et videas quaeso illud καὶ p. 390, 2 — sanguine fervente. Paulo explicatius hac de re agitur; finis quaestionis quae erat de cerebri morbis fit p. 390, 9. Deinde quae leguntur κατὰ ταῦτα κτλ. non solum ad ea pertinent, quae de morbis medicus exposuit, sed ad omnia quae de cerebri muneribus inde a p. 386, 15 complexus est. Habet enim, inquit, maximam in corpore vim cerebrum, quod ἐρμηνεύς τῶν ἀπὸ τοῦ ἡέρος γινομένων est, si sanum est. Id autem enuntiatum quod tum sequitur primo adspectu mirum videri potest; nam solitus verborum ordo hic fuisset: ὁ δὲ ἀήρ τὴν φρόνησιν παρέχεται. τὴν δὲ φρόνησιν non habere videtur, quo se referat. Neque magis enuntiati exitus cum insequentibus cohaeret, cum οἱ δ' ὀφθαλμοὶ κτλ. opposita sint iis, quae exstant v. 10: δύναμιν ἔχειν πλείστην; tamen nihil mutandum est: maxime urgenda est vox ἐρμηνεύς, in qua haec fere implicite latent: neque enim ipsa φρόνησις in cerebro collocata est; immo vero τὴν δὲ φρόνησιν ὁ ἀήρ παρέχεται. Hinc scriptor revertitur ad v. 10 et opponit: oculi autem et membra, quod imperavit cerebrum, perficiunt; id posunt, quia totum corpus φρονήσιος i. e. sensus particeps est. Sed intelligentiam (ξύνεσιν) solum cerebrum communicat (discernitur igitur diligenter inter φρόνησιν et ξύνεσιν). Quod quomodo fiat exponitur (— 392, 3). v. 392, 4 oratio ad 390, 15 redit. Tum quasi in parenthesi (392, 5 — 394, 2) contra adversarios quosdam pugnatur; postremo

ad cerebrum reversus medicus explicat, quomodo fiat, ut id ipsum gravissimis morbis obruatur.

Sed difficultas quaedam manet; vidimus enim φρόνησιν in toto corpore inesse; ξόνεσιν autem ad solum cerebrum pertinere. Sed quid 394, 1? negat medicus in praecordiis et corde quidquam φρονήσιος inesse, quamquam hanc etiam manibus et pedibus concessit. Quam ad difficultatem solvendam duae viae patere videntur (neque enim quidquam delere licet): aut proeliandi ardore pollectus cum medicus nimis prae fracte negaret sensum in praecordiis aut corde inesse, ipse sibi contradixit, aut quod mihi multo magis placet, non semper tam diligenter verba pependit, quam cum dedita opera de φρονήσει et ξόνεσει ageret, sed interdum φρόνησιν in ξόνεσεως locum succedere passus est.

Id si verum est, videmus, quod idem ex conexu enuntiationum paulo laxiore concludere licet, haec capita non ad unguem perpolita esse, sed ab hypomnematis consuetudine sermonem propius abesse.

Hoc si tenemus, fortasse etiam eos versus defendere licet, quos Wilamowitzius (p. 11) secludendos esse censuit: p. 392, 17—21. Nam eo argumento quod ad persuadendum aptissimum esse vir doctissimus credidit: eam doctrinam qua omnes venae ad cor conducantur, non locum habere in eo libro, quo idem de cerebro doceatur: hoc argumento satis confidere vix licet, quoniam cc. 14—17, cum seorsim stare sciamus, ab eodem homine conscripta esse atque reliquum libellum, et eum qui haec capita composuit idem de venarum natura et situ iudicasse sumere non liceat. Immo hac de re paulo aliter eum sensisse vel inde concludi potest, quod bis (388, 18/20. 390, 4) φλέβας quasdam αίματίτιδας commemoravit, de quibus nihil dictum est in libello Π. ίερής νούσου. Sententiarum autem forma suspicioni tam obnoxia vix est (scilicet deletis ὅτι ἡ καρδίη αἰσθάνεται τε μάλιστα καὶ αἱ φρένες), ut omnia haec e textu eicere necesse sit; neque enim scio an sic vertere liceat:

*neque vero hoc ita se habet; immo trahitur id quidem haud alio modo atque praecordia atque <etiam> magis (vehementius) has ob causas: in cor <enim> ex toto corpore venae conveniunt, quas conclusas tenet; quam ob rem si quis labor aut tensio homini accidit, cor sentit; hominem autem et dolentem corpore horrere contrahique et nimia laetitia commotum idem pati necesse est; at intelligentiae neque praecordia neque cor particeps est et quae secuntur.*

Itaque ut haec expellerem animum inducere non potui.

Ac ne 394, 2 sqq. de interpolatione cogitare opus est. Sunt in codicibus haec:

ὡσπερ (περ om. Θ) οὖν καὶ τῆς φρονήσιος τοῦ ἡέρος πρῶτος αἰσθάνεται (ὁ ἐγκέφαλος add. M: om. Θ) τῶν ἐν τῷ σώματι ἐόντων (ἐνεόντων M) οὕτω καὶ ἦν τις μεταβολή ἰσχυρή (sic Θ: ἰσχυροτέρη M) γένηται ἐν τῷ ἡέρει (sic Θ: ἡέρι M) ὑπὸ τῶν ὠρέων καὶ αὐτὸς ἐωυτοῦ διάφορος γένηται ἐν τῷ ἡέρει (sic Θ: γίνεται ἐν τῷ ἡέρι M) ὁ ἐγκέφαλος πρῶτος αἰσθάνεται.

Ex ipso codice Θ lenissimam medicinam adferre licet; nam deleta dittographia<sup>1)</sup> γένηται ἐν τῷ ἡέρει omnia bene decurrunt; tum habemus: οὕτω καὶ ἦν τις μεταβολή ἰσχυρή γένηται ἐν τῷ ἡέρι, καὶ αὐτὸς ἐωυτοῦ διάφορος ὁ ἐγκέφαλος πρῶτος αἰσθάνεται.

Hoc autem loco optime cognoscere licet quomodo paulatim textus depravatus sit; nam in M prima ut videtur manu scriptum erat γένηται ἐν τῷ ἡέρι; altera manus rasura vel litura facta scripsit γίνεται ἐν τῷ ἡέρι et ante πρῶτος addidit Σ = καί. Quod cum nondum sufficeret recentioribus, scripserunt ὁ γὰρ ἐγκέφαλος διὰ τοῦτο πρῶτος κτλ., quod in H = Parisin. 2142 altera manus — prima scripserat γίνεται ἐν τῷ ἡέρι πρῶτος — scilicet ex recentioribus depromptum textui inculcavit<sup>2)</sup>.

Itaque, ut quid effectum sit breviter complectar, cc. 14—17 magnis additamentis sive notatis quae ad sen-

1) Proxime ad verum accesserunt Ermerinsius et Ilbergius (Stud. pseudhippocr. p. 36) qui ἐν τῷ ἡέρι exstirpenda esse censuerunt.

2) vide infra summarium dissertationi adnexum.

tentiam pertinent, libera videntur esse; aliter scilicet sentiendum est de 386, 18; 388, 3; 392, 6. 21; 394, 5.

2.

Nunc quaeramus oportet, utrum uni auctori et libellum II. i. v. et cc. 14—17 adscribere liceat necne.

Argumenta quae ex ipsa re peti posse videntur, iam supra breviter perstrinxi: ea quidem, cum gravissima mihi videantur et postea iis utendum erit, paulo accuratius considerata sunt; pergratum autem accidit, quod libri II. i. v. auctor capite tertio venas satis copiose descripsit, quibuscum ea quae de capitum 14—17 doctrina comperimus comparare possumus; idque praecipue ideo operae pretium est, quod, cuinam sectae et cuinam fere aetati medici tribuendi sint, ex venarum descriptionibus satis bene cognoscere licet. Quibus de rebus Frederichius egregie egit in eius libri cui inscribitur Hippokratische untersuchungen p. 57 sq., cuius copiis grato animo usus sum. Hoc autem loco non nisi gravissima quaeque attingere licet.

Constat sententias quae de venarum situ prolatae sunt imprimis ea re diversas fuisse, quod e diversis locis venarum originem ducendam esse medici statuebant<sup>1)</sup>. Antiquissimi autem omnes venas e capite vel e cerebro descendere censuisse videntur, cuius sententiae assecla, fortasse princeps, Alcmaeo fuit<sup>2)</sup>. Luculenta exempla Aristoteles nobis conservavit: descriptiones quas composuerunt Syennesis Cyprius et Polybus<sup>3)</sup>; cordis mentionem nec hic nec ille fecit.

Longe aliter ii senserunt qui cordis non modo rationem habuerunt, sed etiam quantum ad venas et sanguinem pertinet, id longe gravissimam omnium corporis

1) Fredrich l. c. p. 74.

2) Fredrich l. c. p. 67. cf. etiam Aristotelis h. a. Γ 3. (513 a 10 sqq.).

3) Aristotelis h. a. Γ 2. (511 b 25 sq. et 512 b 12 sq.); cf. Hippocr. II. φύσ. ἀνθρώπ. c. 11 et II. ὀστέων φύσις c. 8 et 9.



partium esse perspexerunt. Id inventum medicis Siciliensibus deberi videtur<sup>1)</sup>. Atque fortasse iam Empedocles, qui animum in cordis sanguine constitutum esse (fg. B 105 D<sup>2</sup>) et ipsum cor gravissimum totius corporis membrum esse censebat<sup>2)</sup>, sanguinem e corde proficisci ideoque fieri non posse, quin omnes venae e corde exirent, intellexit<sup>3)</sup>. Eandem sententiam secuti sunt Philistio et praecipue Diocles. Neque desunt eius doctrinae vestigia in libris Hippocrateis<sup>4)</sup>.

Id inventum quo quid cordi tribuendum esset statuabatur, sane gravissimum a reliquis medicis neglegi non poterat. Sed ut fieri solet, non prorsus novae sententiae se dediderunt, immo nova cum antiquis consociare studuerunt, maxime ea re diversi quantum quisque in describendis venis novo invento concesserit. Hoc in numero etiam is est, qui capite tertio libri II. *í. v.* venas descripsit; nam vide quomodo rem instituerit: in cerebrum cum multas venas tenues e toto corpore convenire, tum duas crassas e iecore et splene ortas omnino ei constat. Quas cavas ita describit: e iecore venam proficisci in interiores corporis partes; praeter renem et coxam in interiori femoris partem et in pedem. Eandem sursum per dexteram praecordiorum et pulmonis partem (deflectunt rami etiam in cor et in brachium), deinde per claviculam in dextram cervicis partem; sub cute videtur; circa aurem latere incipit; maxima crassa cava pars in cerebrum it, rami nonnulli in aurem, oculum, nares se conferunt. Eodem modo vena altera in sinistra parte ex splene orta distribuitur; sed exilior et debilior est.

Quae venarum descriptio quin simillima sit iis quas Syennesis et Polybus proposuerunt, dubitari nequit; sed quae dissensio summi momenti est, cordis medicus mentionem fecit, quod omnino Syennesis et Polybus negle-

---

1) Wellmann *Fgnte. der griech. ärzte* I p. 95. cf. p. 15. 73.

2) Wellmann l. c. p. 15.

3) Wellmann l. c. p. 73.

4) Wellmann l. c. p. 102. 89. 90.

xerunt. At vide quam obiter hanc rem gravissimam tetigerit; quasi in parenthesi addit v. 16/17: ἀπέσχισται δὲ καὶ ἐς τὴν καρδίην καὶ ἐς τὸν βραχίονα τὸν δεξιόν.

Ab altera parte simillima est Diogenis Apolloniatae dispositio, quam Aristoteles (h. a. Γ 2. 511 b 30—512 b 11) conservavit, qui summam rei ita instituit: sunt venae duae maximae, quae per alvum praeter spinam, altera sinistra, altera dextra in femora et sursum praeter claviculas per σφαγὰς in caput se conferunt, a quibus reliquae originem ducunt: a sinistra quae in sinistras partes eunt, a dextra quae in dextras. Quarum duae in cor atque eae quidem maximae (512 a 1: μέγισται μὲν δύο εἰς τὴν καρδίαν περὶ αὐτὴν τὴν νωτιαίαν ἄκανθαν); aliae per pectora sub alas et in manus (καὶ καλεῖται ἡ μὲν σπληνῖτις, ἡ δ' ἥπατῖτις (cf. Π. νόσ. I c. 26 (VI 194. 196 L.) et Π. παθῶν c. 20 (VI 230, 8 L.) Fredr. l. c. p. 59), aliae et debiliores (λεπτότεραι) in iecur et splenem. Cordis igitur diligentius ratio habetur, cum eae venae quae in id se conferunt praeter πρώτας maximae existimentur.

Itaque in venis describendis medicum qui Π. ἰ. ν. conscripsit paulo antiquiorem doctrinae condicionem, quam quae apud Diogenem invenitur, conservasse apparet.

Etiam magis ad novam doctrinam se adaptavit mantissae auctor. Qui quamquam in caput, quin etiam in cerebrum venas ire non negat<sup>1)</sup>, tamen (p. 392, 17) con-

1) cf. p. 388, 19/20: θερμαίνεται δὲ ὑπὸ τῆς χολῆς, ὅταν ὀρμήσῃ ἐπὶ τὸν ἐγκέφαλον κατὰ τὰς φλέβας τὰς αἱματίτιδας ἐκ τοῦ σώματος (vid. 390, 2). Videtur igitur hic a venis sanguineis alias separavisse in quibus minus sanguinis et plus spiritus esset (cp. quae hac de differentia docte exposuit Frederichius l. c. p. 57 sqq.). Quod neque Diogenes neque is, qui Π. ἰ. ν. conscripsit, fecit (cf. imprimis c. 4). Ipsa vox αἱματίτις, si recte observavi, (neque alium locum invenisse videtur Crönertus vid. lexic. s. v.) praeter librum Π. αἱμορροῖδων c. 4 (VI 440, 3 L.) in libris Hippocrateis iterum non reperitur, quem librum satis recentem esse crediderim. Certum mihi videtur p. 436, 19 L. eam sententiam impugnari quae exstat Aphorism. 6, 12 (IV 566, 7 L.) cf. Galen. XVIII a p. 21 K; neque mihi persuasit Petrequinius (Chirurgie d' Hippocrate I p. 330; quae ex Celso citavit omnino huc non pertinent).

cedit in cor ex toto corpore venas convenire, quae sententia ab eorum, qui cor omnino sanguinis et venarum fontem esse censebant, fere iam non distat. Itaque, ut is qui ipsum Π. í. ν. librum conscripsit in venarum dispositione antiquiorem quam Diogenes sententiam secutus est, ita alter ultra Diogenem processit.

Quamobrem eum qui cc. 14—17 apposuit maxime ea re a libri Π. í. ν. auctore diversum esse statuere licet, quod aliquanto magis quam ille ad Siciliensium disciplinam se applicavit.

Quod idem in timoris nocturni atque diurni explicatione fecisse videtur, sed ita ut Siciliensium sententiam ab altero morbo desumptam huc transferret; quae res brevi consideratione eget.

Habemus enim p. 388, 17—21, 24—390, 9 genus quoddam phreniticae passionis, quam longe aliter Sicilienses explicabant (cf. Wellmann l. c. p. 18/19). Coi autem hunc in modum: Anecd. med. Fuchsii 1, 540: τὸν μὲν νοῦν φησιν (sc. ὁ Ἰπποκράτης) ἐν τῷ ἐγκέφαλῳ τετάχθαι καθάπερ τι ἰερὸν ἄγαλμα ἐν ἀκροπόλει τοῦ σώματος· χρῆσθαι δὲ τροφῇ τῷ περὶ τὴν χοροειδῆ μήνιγγα αἵματι· ἔταν δὲ τοῦτο ὑπὸ τῆς χολῆς φθορῆς, ὑπαλλάττει καὶ τὸ τρεφόμενον τῆς ἰδίας δυνάμεως· οὗ γὰρ ἡ ἔντακτος καὶ κατὰ φύσιν κίνησις φρόνησις ἔην, τούτου ἡ ἄτακτος καὶ παρὰ φύσιν παραφρόνησις ἄν εἴη. Quod placitum hoc ex loco desumptum esse omnino nequit non modo propter verba (Wellm. l. c. p. 19), sed etiam propter rem. Tamen quamquam haud levibus inter se rebus differunt, eatenus consentiunt, ut bile hanc affectionem concitari censeant. Neque vero hoc mantissae auctori satis fuit, immo p. 390, 2 alteram explicandi viam monstravit: videlicet novi aliquid proferri vocula καὶ indicavit: δια-θερμαίνεται δὲ καὶ ἐπὶ τὸ αἷμα ἐπέλθῃ ἐπὶ τὸν ἐγκέφαλον πολὺ καὶ ἐπιζέση. Haec autem quae est de coctione sanguinis doctrina imprimis Siciliensium propria videtur fuisse (cf. Wellm. l. c. p. 20 sqq. p. 80 cum adnot.). Ita Diocles maniam explicavit fg. 40 W.; Anecd. medic. 17, 548. Plat.

Tim. 66 B<sup>1</sup>). Itaque medicus cum in ipsa mania explicanda antiquam quandam sententiam teneret (simillima est Alcmaeonis Crotoniatae. cf. Vors.<sup>2</sup> I 14 a 5), tamen hoc loco denuo paululum ad diversae cuiusdam sectae doctrinam deflexisse videtur, sed ita ut sanguinis coctionem ad phreniticam passionem a mania transferret.

Qua de causa, ut tandem finem faciam huic digressioni, sic fere complectar: iam veri dissimile non esse existimo eum qui cc. 14—17 conscripsit paulo recentiore quam ipsum libri Π. ἰ. ν. auctorem imprimis ea re insignem esse, quod raro, sed nonnullis locis sensim ea quae ei apta esse videbantur, ab altera medicorum, praecipue Siciliensium, secta deprompsit.

His argumentis quae ex ipsis rebus desumpta sunt, accedunt alia quae tamen praeter unum omnia fere ea sunt, ut singulis non magnum momentum sit, coniunctis aliquid fidei haberi fortasse non iniquum sit.

p. 388, 16 habemus ξυνεχῶς in Vindobonensi et in epistulae codicibus (ξυνεχέως in M.), at 376, 21 ταχέως et 380, 3 ταχέως etiam in Θ.

Crasin ter legimus in Θ 390, 4. 17; 392, 7: ὠνθρωπος; in reliquo libro, quantum vidi, nunquam.

ξον et σον in libro Π. ἰ. ν.

$$\Theta: \sigma: \xi = \underline{9:6}. \quad M: 6:9.$$

$$\text{in cc. 14—17: } \Theta: \sigma: \xi = \underline{1:6}. \quad M: 5:3.$$

Ergo numeri inter se mutantur. Liceat adnotare p. 372, 19/20 in versu genuino exstare et in Θ et in M συμβάλλεται, at in spurio qui subsequitur in utroque codice ξυμβάλλεται.

Participium perfecti a stirpe στα- formatur in -ηκώς

1) sed cf. etiam Π. νόσων Π c. 5 (VII 14 L.): ὅταν οὖν θερμανθῶσιν αἱ φλέβες καὶ τὸ αἷμα ἐν αὐτῆσι ζέσῃ· explicatur ἐγκεφάλου σφακέλισις. librum Π. νόσ. Π coniunctum cum libro qui est Π. τ. ἐντ. παθῶν quodammodo cum Cnidiorum doctrina cohaerere egregie ut mihi videtur Ilbergius demonstravit. (Festschrift f. Lipsius.) Sed etiam inter Cnidios et Sicilienses aliquam rationem interesse monuit Wellmannus Fgmdte der griech. ärzte p. 17.

in l. Π. ἰ. ν., in -(ε)ώς in mantissa: καθεστῶτων exstat p. 388, 1 (καθεστηκότων M), sed in Π. ἰ. ν. 378, 19: συνεστηκότα codd. 384, 14: συνεστηκότα Θ: ξυνεστῶτα M. ibd. 16: ξυνεστηκότος codd.

Formae in -ηκώς exeuntes in libris Hippocrateis multo saepius leguntur quam quae in -εώς desinunt; quarum has mihi enotavi: Π. φυσῶν c. 14 (p. 28, 2 N.) καθεστεῶτι A: -ηκότι M. Π. ἐλκῶν c. 8 (VI 406, 12 L.) τὰ ἀφεστεῶτα. Epidem. II 1, 5 (V 74, 6 L.) καθεστεῶσι. Epidem. VII 45 (V 412, 23 L.) περιεστῶτας. ibd. c. 124 (p. 468, 8 L.) ἐστῶτα. Π. φύσιος ἀνθρώπ. c. 9 (35, 13 V.) καθεστεῶσι M V: -ηκόσι A. Γυναικ. I c. 12 (VIII 50, 4 L.) ξυνεστῶτα Θ. ibd. c. 66 (140, 4 L.). Π. ἀνατομ. c. 1 (VIII 538, 7 L.) καθεστεῶσα vulg. -ῶσα L. Aphorism. III 8 (IV 488, 13 L.) καθεστεῶσι. At contra res se habet in libb. Π. ἀγμ. Π. ἄρθρ. p. 76, 16; 103, 13; 104, 19; 117, 5; 126, 13; 127, 4; 153, 10; 181, 3; 204, 9; 238, 2 Kühn. similiter in libb. Π. ἰητροῦ, Π. εὐσχρημοσ. Κατ' ἰητροῦ. Sed haec ad solum participium pertinent; nam ἐστηκέναι talia nunquam legere me memini, sed semper ἐστάναι scribi videtur. cf. Villaret Diss. Berol. 1911 p. 17. De Herodoti consuetudine Bredow p. 399.

Deinde de verborum usu nonnulla observari possunt, quibus distant cc. 14—17 a reliquis.

392, 12: ἐπεὶ αἰσθάνονται γε. vocula γε adhibetur tali modo hoc solo loco; alibi nusquam praeter ἔμοιγε ἐκεῖγε γούν.

ὥσπερ οὖν coniuncta leguntur 390, 5; 394, 2. alibi non inveni.

ἐπήν non nisi 390, 2.

νομίζω 390, 10 adhibetur, ut medicus indicet ea, quae argumentis vera esse ipse sibi persuasit; aliter usurpatum est 352, 4. 9; 354, 1. 18; 356, 5; 358, 7; 360, 4. 7; 382, 24; 394, 13.

φράσω quo verbo utitur libri Π. ἰ. ν. auctor, non invenitur in mantissa.

Denique quod gravissimum est 388, 16 habemus δρωῶντες, quod verbum δρωῶν a reliquo libro alienum etiam

in maxima Hippocrateorum parte deest. Cuius de usu postea plura dicenda erunt.

De sermonis genere cum reliqui libelli consuetudine non prorsus congruo iam supra in universum dixi.

Quae omnia si considero, ad eam sententiam adducor, ut censeam, non ab eodem homine cc. 14—17 conscripta esse atque librum qui de morbo sacro est.

3.

Sed tum quaerere opus est, cur nam quispiam haec addiderit aut quid potissimum demonstrare voluerit. Atque demonstrandum sibi proposuit, cerebrum esse auctorem voluptatum et dolorum, sensus et intelligentiae inque eodem animi morbos collocatos esse (p. 386, 15—388, 3). Explicatius agitur de morbis quorum praecipue mania et terrores, qui fiunt et interdium et, quod amplissime explicatur, noctu, tractantur. Diligenter exponitur de cerebro intelligentiae quae ei aere suppeditatur interprete; quocum cohaerent quae contra adversarios de intelligentiae sede parum recte sentientes dicuntur; tum redit ad morbos, et pauca de iis, qui temporum (ὠρέων) permutationibus fiunt, addit.

Iam observandum est, eum qui libellum Π. ι. ν. conscripsit, p. 354, 1 complures passiones, quae haud minus mirabiles videri possent quam morbus sacer, adtulisse, inter quas praeter febres tertianas et quartanas praecipue maniam et terrores nocturnos commemoravit; talium rerum mirabilium etiam plures esse, quibus de omnibus singillatim dicere longum esset (vel inde quod 354, 10/12 medicus se de his rebus agere nolle praefatus est, concludere licet eum de scribendis cc. 14/17 vix cogitasse). Haec igitur cum medicus alter omissa videret, de suo supplere atque simul amplificare ita studuit, ut quidnam ipse de intelligentia sentiret, adderet. Haec autem dum perscribit, ei accidit, quod interdum hominibus libri cuiusdam lectione imbutis, cum ad scribendum se conferant, fit: nonnullis locis, quoniam sermonis formulae

quas nuper legerat, in memoria haerent, eisdem fere vocabulis usus est quibus auctor libri Π. ἰ. ν.; sed ita ut ad proprium sermonem paululum ea immutaret: e. g. cf. 354, 4: μαινομένους καὶ παραφρονέοντας ~ 386, 23: μαινόμεθα καὶ παραφρονέομεν. 354, 6: οἰμώζοντας καὶ βοῶντας ~ 388, 24: βοᾷ καὶ κέκραγεν. 354, 8: μέχρι ἐπέγρωνται ~ 390, 8: ὅταν δ' ἐπέγρωνται. Imprimis autem, quo exemplo et similitudinem et immutationem optime cognoscere licet: 354, 6: καὶ πολλά τε καὶ ἄκαιρα ποιεῶντας ~ 388, 15/16: ἀλλ' αἰεὶ τι ἄκαιρον ὀρῶντες.

Licet fortasse cogitare hanc notam sane amplam in schedulis perscriptam libello additam fuisse. Quas adnotationes non raro ab eo quod est εἰδέναι μὲν οὖν χρή vel simili ratione incipere Wilamowitzius iam monuit (l. c. p. 13). cf. Π. φύσις ἀνθρώπου c. 9 (p. 35, 8 Vill.). Eodem modo is qui librum Π. ἄρθρων conscripsit, cum longum excursus insereret, orsus est: p. 120, 5—124, 6 Köhl., qui praeter alios hanc scribendi formulam in deliciis habuit: cf. 132, 7. 8; 134, 1; 135, 5; 171, 11; 201, 13; 216, 5; 215, 1. 6; 216, 13; 235, 6. Π. ἀγμ. 87, 10; 96, 11 et saep. sed cf. etiam Π. φύσ. ἀνθρώπ. 40, 23. Προορ. II c. 32 (IX 64, 17 L.) etc. (cp. Anaxag. Vors.<sup>2</sup> B 4 et B 5).

Sed cui loco haec nota adscripta fuerit, quaerere fere nimiae curiositatis est. At tamen duabus rebus forsitan niti liceat. Enuntiatum quod legitur 394, 6/8<sup>1)</sup> haud dissimile est ei quod invenitur 366, 5/7. Inter quae eadem fere ratio intercedit, quam supra explicare conatus sum. Aliud fortasse accedit. Incipit c. 14 in Θ: εἰδέναι δὲ χρή τοὺς ἀνθρώπους ὅτι ἐξ οὐδενός . . . ἡμῖν γίνονται ἢ ἐντεῦθεν, ὄθεν κτλ. quid autem sit illud ἐντεῦθεν ὄθεν non

1) Sed cave ne credas v. 394, 6/8 ad 366, 5/7 ita pertinere, ut eundem scriptorem qui 366, 5/7 conscripsit ad ea, a quibus profectus est, redire statui possit; nam sicut forma enuntiationes similes sunt, ita re inter se dissentiunt; videlicet 394, 6/8 eae passiones indicantur, quibus ipsum cerebrum opprimitur; at 366, 5/7 eae, quarum auctor cerebrum est; hae, quatenam sint, intellegi potest ex c. 5. 6.

ante 388, 3 profertur. Quod satis obscurum per se<sup>1)</sup>, etiam obscurius in M est: ibi enim deest εθεν, ita ut quid sibi velit εντεθεν omnino nescias. Quam ob rem paene suspicor εθεν in ea recensione, cuius testis nobis Θ est, neque enim ipsum Vindobonensis scribam quidquam de suo addidisse credibile est, suppletum esse, ut haec difficultas oblineretur. Quaerendus igitur locus est, quo εγκεφαλος iam in textu exstabat; tum, cum ad hanc vocem εντεθεν se referebat, omnia perspicua erant: atque eidem conditioni aptus est locus quem iam supra commemoravi. Ibi exstant haec: 366, 5: ἀλλὰ γὰρ αἴτιος ὁ ἐγκεφαλος τοῦτου τοῦ πάθεος, ὡσπερ τῶν ἄλλων νοσημάτων τῶν μεγίστων. Quibus verbis si adscripta erant: εἰδέναι δὲ χρὴ τοὺς ἀνθρώπους, ὅτι ἐξ οὐθενός . . . ἡμῶν γίνονται ἢ εντεθεν . . . omnia perspicua erant.

Sed haec satis incerta esse minime nego nec vero magni momenti sunt.

At contra capita 14—17 non a libri Π. ἰ. ν. auctore conscripta magnis, quae quidem ad sententiam pertinent, additamentis libera esse, satis comprobatum esse crediderim.

---

### III.

#### De adnotationum inter se conexu et origine.

Nunc restat ut quaeramus, numquid de notarum inter se conexu statui possit.

---

1) haud absimile est initium libri Π. φυσῶν: cf. c. 2, quo loco omnibus morbis unam causam subesse quasi consentaneum sit proponitur. cf. Nelson p. 100. Sed tamen quod ad sermonem pertinet, id multo minus obscurum est quam quod hoc in capite legitur. Immo vero fortasse artificio oratorio ad excitandos auditores sophista qui illam orationem composuit uti voluit.



Qua in re consideranda primum illud — ut mihi videtur haud levis momenti — monendum est, notulas ad sensum pertinentes aut maiores aut minores haud paucas inveniri in cc. 1—13 + 18, nullas, si recte hac de re statuimus, in cc. 14—17 postea additis. Nam de 392, 6 οὐ τῆ φύσει, ibd. 21 ὅτι ἡ καρδίη κτλ., 394, 5 γέννηται ἐν τῷ ἡέρι aliter iudicandum esse per se intellegitur. Qua diversitate recte perspecta non a verisimilitudine alienum esse videmus putare, quadam copula et cc. 14—17 et notulas capitibus 1—13 + 18 additas inter se contineri. Sed aliud argumentum addi potest. Nam supra p. 36 sq. demonstrare conatus sum nonnullis in placitis eum, qui cc. 14—17 conscripsit, paululum ad alteram medicorum sectam declinasse, cum cordis in corpore administrando partes aliquanto maioris aestimaret (392, 15 sq.) et cum sanguinis coctione ad quandam animi affectionem explicandam uteretur (390, 3). Idem haud scio an in iis demonstrari possit quae supra p. 21 sq. in p. 374, 10 sqq. secludere conati sumus. Ad ea enim quae ibi exponuntur: λακτίζει δὲ τοῖσι ποσὶν ὅταν ὁ ἀήρ ἀποκλεισθῆ ἐν τοῖσι σκέλεσι καὶ μὴ οἷός τε ἦ διεκδῶναι ἔξω ὑπὸ τοῦ φλέγματος· αἵττων δὲ διὰ τοῦ αἵματος ἄνω καὶ κάτω σπασμὸν ἐμποιεῖ καὶ ὀδύνην· διὸ λακτίζει, quam bene apta sint quae proferuntur apud Vindicianum p. 231, 5 sqq. Wellm. quivis videt: *quando enim, inquit, conceptus spiritus in exitum coeperit perurgeri nec tamen valuerit exire, angustiarum causa irruens venarum summitatibus . . . attractionem nervorum atque musculorum facit*. Quocum conferri potest: Anecd. med. Fuchsii 7, 544: κοινῶς ἔδοξαν οἱ παλαιοὶ πληροῦσθαι τὰ ἀπὸ τοῦ ἐγκεφάλου πεφυκότα νεῦρα ὑπὸ τινων γλίσχρων καὶ κολλωδῶν χυμῶν οἷς προσκόπτων τὸ ψυχικὸν πνεῦμα κατὰ τὴν πάροδον τοῦς σπασμοῦς ἐπιφέρει· sed meminisse opus est illud κοινῶς οἱ παλαιοὶ ex errore quodam excerpentis ortum esse, quod demonstravit Wellmannus Fgmte I p. 11 sq. De ipsa morbi comitialis causa apud Vindicianum p. 229 c. 33 W. haec leguntur: . . . *aut si forte omnia quae in nobis liquida seu*

*argillosa et crassiora et ferventia sunt, haec fuerint obtrusa secundum eos meatus, quibus et respiratio credita sequitur. Certante enim inquit interiore spiritu seu fervore cum festinatione exeundi et obviante frigore <cum> festinatione intrandi, turbari mentem et spiratione retentatos artus fieri (num: spiratione <retentata> retentatos?) seu casum seu malefactionem vel eclipsim animae et qu. sec. Quam ob rem sententia optime convenire videntur p. 374, 10 sqq. ad ea quae de capitum 14—17 doctrina exposuimus<sup>1)</sup>. Sed ab 374, 10 sqq. vix dirimi possunt ea quae 362, 1—3 leguntur quaeque supra p. 10 semovere studuimus; neque est, cur de 360, 13 aliter iudicemus. Quibuscum notis utrum totus ille locus qui est 360, 9—362, 6 (de quo vide p. 15 sq.) coniungendus sit necne, haud certe affirmare ausim. Sed monere licebit medicos a Siciliensium disciplina stantes de talibus religionis arcanis mitius iudicasse quam alios; quorum de opinionibus cf. quae Wellmannus l. c. p. 29 a. 1 docte exposuit. Nec negari potest in his versibus (360, 9—362, 6) illos metragyrtas quodammodo excusari et omnino paulo clementius tractari quam in iis quae antecedunt et quae secuntur (cf. supra p. 17 sq.). Habemus igitur hominem illarum caerimoniarum haud imperitum, quique hac in re sicut in aliis fere Siciliensium sententiam sequebatur.*

Hac re adiuti nescio an alium quoque locum huic adnectere possimus, p. 356, 3, de quo iam supra p. 8 egi, cum monui carnem caninam, si ad solitam medicorum sententiam iudicatur, neque ineptam aegrotis esse (354, 21) neque ea alvum turbari (356, 3): itaque eius mentionem ad aliam quandam causam referendam esse; neque haec procul abesse videtur; namque canes Hecatae sacros fuisse nemo nescit (cf. e. g. Roscheri lexicon I, 2 1889) ac plerumque etiam Pythagoreos eorum carne abstinuisse,

1) verba quae p. 374, 10—13 seclusimus, iam Soranus legisse videtur. cf. Fuchsii Anecd. medic. 3, 542: τῆ δὲ διὰ τούτων ἐκδρομῆ τοῦ πνεύματος τὴν πρό<σ>κοψιν γίνεσθαι καὶ τὴν συνολκῆν καὶ τὸν σπασμὸν. cf. Wellm. Herm. 36 p. 154; idem Fgmte I p. 6.

fortasse e quodam Alexidis loco concludere licet<sup>1)</sup>; accedit quod ipsa in Sicilia haud paucis locis canes quorundam deorum nec solum Hecatae sacros atque ideo involatos fuisse traditur (cf. Aeliani n. h. XI, 3; XI, 20). Itaque hic quoque videmus hominem arcanae superstitionis peritum, quod bene quadrat ad eum qui de singulis dis et deabus egit, quippe qui ipse de Hecata atque heroibus locutus sit. Hanc autem qua de carne canina agitur notam non recentem esse fere inde concludere licet, quod posterioribus temporibus Graeci ea omnino iam non usi videntur esse. cf. Sextus Empir. p. 174, 3 B. (Wellm. Diocl. fgmt. 93).

Qua re statuta haud scio an etiam de reliquis duobus locis — 356, 1 et 356, 2 dico — accuratius iudicari possit, praesertim cum, quamquam in universum caseus a medicis laudari non solet (cf. Π. παθῶν c. 47 (VI 258, 4; 266, 5 L.) Π. διαίτ. δξ. νόθ. c. 46 (I 169, 19 sq. Köhl.) paulo aliter Π. ἀρχ. ἰητρ. c. 20 (I 25, 13 sqq. Köhl.) cp. Fredrich Unters. p. 184a. 5), tamen omnium optimum ad digerendum caprinum esse Diocles concesserit (fg. 138 W.). Itaque etiam caseum Hecatae sacrificio datum esse<sup>2)</sup> monere haud alienum a re videtur. De anguilla autem minus constat; at miras quasdam fabellas de iis narratas esse Aristotelis beneficio scimus (n. h. Z c. 16 (570 a 3—25); putabantur enim mutatione facta e lumbricis existere; his autem cum caeno quendam conexum esse et in sceleris puniendis partes dari apud Orphicos ut videtur tradebatur (cp. Dieterichii Nekyia<sup>2</sup> p. 73. 81. 211, cf. etiam Petri apocalyps. X 25); cf. praeterea quae de anguilla apud Aegyptios atque Boeotos sacra narratur apud Athenaeum . 299 e; 297 d. Pythagoreis autem piscibus vesci omnino non licebat (Plutarch. quaest. conviv. VIII, VIII, 1. 2).

1) apud Athen. IV 160 f: Ἐπιχαρίδης μέντοι κόνας κατασθίει τῶν Πυθαγορείων εἰς . . .

2) cf. Rohdei Psyche<sup>4</sup> II 85 a. 1 et qui ibi adferuntur. Pythagoreos autem caseo non abstinuisse eodem Alexidis loco comprobatur.

Qua de causa haec additamenta cum illo quod est 360, 9—362, 3 cohaerere puto.

Difficile iudicium est de 372, 13 et 372, 20, quibus locis de cavernis quibusdam non artius definitis (*κοιλίαι*) mentio fit. De cordis cavernis ipse aliquando cogitavi et etiam Ermerinsium in eandem sententiam incidisse vidi: et esset haec explicatio aptissima ad ea, quae de adnotatoris indole adhuc comperimus. Neque ad hanc sententiam abiciendam argumentum me impelleret, quod Ermerinsium movisse videtur: hoc si voluisset scriptor expressis verbis eum indicare debuisse: sed aliud, quod statim proferam quodque idem valet in alteram quam excogitare possis explicationem: eiusdem modi cavernas intelligendas esse atque eas quas memoratas habemus et De arte c. 10 (p. 50, 5 sqq. G.) et — si recte intellexi — Epid. VI 6, 3 (V 324, 3 sqq. L.). Nam satis mirum est et mentione non indignum in libro qui est Π. δ., quem ab eodem homine compositum esse atque librum Π. ι. ν. fere constat, c. 2 (I 35, 4 Köhl.) eodem modo καὶ αἱ κοιλίαι falso additum exstare, quod suo iure Wilamowitzius seclusit<sup>1)</sup>. Sed cur in illo libro talis nota addita sit, optime explicari potest, quoniam de cavernis, scilicet superioribus et inferioribus, pectoris et alvi, sive umidis sive siccis, aut tempestate huc vel illuc mutatis passim doceamur. At hoc in libro vix ullus locus est, quo quidquam de cavernarum gravitate proferatur, praesertim cum nunquam quantum vidi de cavernis plurali numero dictis, sed semper de caverna i. e. de alvo<sup>2)</sup> exponatur. Licetne igitur putare adnotatorem de quo quaerimus lectione libri Π. δ. instructum fuisse? Cui sententiae optime ea convenirent, quae supra p. 26 sqq. de p. 364, 15—366, 4 non genuino loco traditis enucleare conati sumus.

1) Neque aliter res se habet, si potius a Jacobio stare velis; qui totum enuntiatum ἅμα γὰρ τῆσιν ὄρησι καὶ αἱ νοῦσοι [καὶ αἱ κοιλίαι] μεταβάλλουσιν τοῖσιν ἀνθρώποισιν delendum esse censuit (Herm. 46 p. 543).

2) nam 374, 8 locus incertissimus. Θ praebet τῆς ἄνω κοιλίης, M τῆς κοιλίης ἄνω. fortasse ἄνω omnino delendum.

Et, cum in re difficili ne minima quidem negligi oporteat, iterum monere licebit p. 372, 19 in versu genuino in utroque codice tradi *συμβάλλεται*, sed 372, 20 in versu postea addito codicum consensu *ξυμβάλλεται*, qui usus diversus plane consentit cum genuini libri et mantissae consuetudine inter se diversa, qualis quidem e codicis Vindobonensis scriptioe definiri potest<sup>1)</sup>.

1) nec porro a re alienum videtur notas libro Π. ζ. adscriptas in universum cum his paulo accuratius comparare; sed antea quam brevissime quid de nonnullis illius libri locis sentiam, profitendum mihi est. Primum Jacobium l. c. p. 523 recte post 70, 7 Kühll. *ὑδατα* incidisse censeo; tum inter se coniungenda esse 68, 12/15 + 70, 7/71, 9 et 68, 15—70, 7; his partibus bis eandem rem diverse tractari; porro 68, 12/15 + 70, 7/71, 9 ab ipso libri auctore conscripta esse; nam adlocutioni illi quae est 70, 7 *εὐρίσταις* et 71, 5. 8 *ἀμαρτήση* non tantum quantum Jacobius Wilamowitzium secutus tribuerim: maxime me movet ἐπὶ τὸ πλῆθος 70, 7 positum, quod quam rarum sit supra p. 23 a. 3 monstravi. 68, 12/15 + 70, 7 sqq. antiquius esse quam 68, 15—69, 7 inde elucet, quod bipertitio quam hic legimus multo simplicior est quadrupertitione quam illic habemus. Tum autem 68, 15—69, 7 ad hanc sententiam diligentius explicandam postea additum est; nec male opusculi fini aptum est, si coniungas: ἀπὸ δὲ τούτων τεκμαιρόμενος τὰ λοιπὰ ἐνθυμεῖσθαι καὶ οὐχ ἀμαρτήση + 68, 15 τὰ δὲ διαλλάσσοντα ταῦτά ἐστιν, ἃ καὶ ἐπὶ τῶν πρότερον εἴρηται· ἔτι δὲ σαφέστερον φράσω. Neque haec ab genuini libri auctore orta esse existimo; differt sermo; considera sis multos illos optativos, qui plurimi in Aristotelis libris inveniuntur quosque peripateticos nuncupare fere licet; horum inter sermonem et medicorum libros necessitatem quandam interesse, optime observavit Westermann de Hippocr. ap. Galenum memoria. Diss. Berol. p. 25; nec vero opinionem satis argumentis fulcivit; hanc in rem altius quaerere operae pretium est. Ac ne re quidem adnotator et ipsius libri auctor satis inter se consentire videntur: compara si placet 69, 3 cum 35, 15 et 37, 4. Prehendimus igitur hac quoque in scriptioe maius additamentum, genuino libro ita inculcatum, ut pristina libri conclusio a reliquis capitibus dirimatur. Accedunt minora nonnulla quae inter se cohaerent: 59, 10/13 et 55, 5/19 utrumque a Wilamowitzio suo iure seclusum et ab uno eodemque homine confectum (notandum est etiam in 55, 13/16 quattuor hominum genera eodem modo quo in 68, 15—70, 7 discerni): quibus fortasse tertius adnectendus est 62, 21—63, 6 (Jacoby Herm. 46, 519). Plane igitur eadem in universum adnotandi ratio est in libro Π. ζ. atque in libro Π. ι. ν.

Itaque temeritatis me vix accusatum iri spero, si putem — quae res per se a verisimilitudine minime abhorret — adnotationes de quibus quaerimus re inter se conexas esse. ita, ut ab uno homine eas adscriptas esse ponere liceat. Eaedem nonnullis vocabulis insignes sunt, quae in reliquis capitibus non leguntur. Invenimus ἴσω 360, 9; γε μήν 360, 13; πλεονάκις ibidem; praecipue ὄρων 388, 16; nam vocabulum quod antiquis Doriensium proprium videbatur<sup>1)</sup> in sermone Ionico deprendi sane mirum est.

Cui observationi si adiungam alteram: verisimile esse ab uno et eodem homine utrumque librum confectum esse, vix me retineo quin antiquissimis temporibus utrumque librum simul et traditum et lectum ab eodem medico adnotatum esse suspicer. Notas autem de quibus exposuimus, Aristotele antiquiores esse Jacobius censet et habet me quidem adsentientem. Neque vero hoc ex Aristotelis de re publica libris demonstrari potest. Nam quamquam ea quae de urbium situ apud Aristotelem VII c. 11 (1330 a 36 sqq.) exponuntur cum medici doctrina bene consentire (II. ἀ. c. 5) concedendum est nec minus ea quae VII c. 11 (1330 b 4 sqq.) de aquarum bonitate leguntur cum II. ἀ. c. 7/8 (cp. 1330 b 11 sqq.: οἷς γὰρ πλείστοις χρώμεθα πρὸς τὸ σῶμα καὶ πλειστάκις, ταῦτα πλείστον συμβάλλεται πρὸς τὴν ὑγίειαν· ἡ δὲ τῶν ὑδάτων καὶ τοῦ πνεύματος δύναμις ταύτην ἔχει τὴν φύσιν cum II. ἀ. c. 7 (40, 14 Köhl.): πλείστον γὰρ μέρος συμβάλλεται ἐς τὴν ὑγιεινὴν (sc. τὰ ὕδατα)), ita ut ipsum librum Aristoteli in manibus fuisse fere credere possis, tamen quae de hominum naturis exponuntur minus bene quadrant (VII 7 (1327 b 20 sqq.)). In locis describendis Aristoteles sola loca frigida et calida adhibet: de commutationibus (μεταβολαί), quae medico gravissimae sunt, nihil. Mediocritatem quam praedicat Aristoteles, non eodem modo medicus laudat (aliter habet se c. 12 nec mihi persuasit Jacoby p. 525). De Graecorum differentiis aliter iudicavit Aristoteles (1327 b 33 sqq.); nam haec fere genera statuisse videtur: I. ἔνδυμοι ἀλλ' ἄτεργοι. II. ἔντεργοι καὶ διανοητικοὶ ἀλλ' ἄδυμοι. III. διανοητικοὶ καὶ ἔνδυμοι καὶ ἔντεργοι. Quae neque cum bipertitione neque cum quadrupertitione quas legimus II. ἀ. c. 24 satis congruere videntur. Itaque quamquam, si Aristotelem librum II. ἀ. novisse statuas, vix refragabor, tamen num liceat sumere eum caput 24 eodem quo nos loco legisse ideoque has notas Aristotele anteriores esse, vehementer dubito. Nec vero eas antiquissimas esse nego.

1) Aristot. de arte poetic. 1448 b 1: καὶ τὸ ποιεῖν αὐτοὶ (sc. οἱ Δωριεῖς) μὲν ὄρων, Ἀθηναίου δὲ πράττειν προσαγορεύειν.

Itaque ab hoc vocabulo incipiamus.

In Iliadis carmine plane deest — scilicet ipsum verbum. Sed ὀλιγοδρανέων manifesto ab eadem stirpe derivatum legitur O 146; Π 843; X 337 et δραίνεις occurrit K 96.

Aliter res et satis memorabiliter se habet in Odyssea; legimus nomina tria ab hac radice formata: δρηστήρ π 248; σ 76; υ 160; δρήστειρα κ 349; τ 345; δρηστοσύνη ο 321, sed notione coartata: non inest faciendi vel agendi vis, sed inserviendi. Qua eadem praeditum ipsum verbum legitur ter, sed in eodem libro parvis spatiis diremptum: δρώοιμι ο 317; παραδρώωσι ο 324; ὑποδρώωσι ο 333.

Apud Asium Pisandrum Mimnermum Phocylidem Xenophanem Semonidem Amorgeum Anacreontem (Solonem) Hipponactem Ionem quantum vidi deest. Sed apud Archilochum bis haec stirps in tetrametris reperitur: 65 Bgk.<sup>4</sup>: τὸν κακῶς με δρῶντα δέννοις ἀνταμείβεσθαι κακοῖς et 72 Bgk.<sup>4</sup> δρήστην (cf. schol. Eurip. Med. 679 οἶον δράσοντά τι) notione non coartata.

In Antesocraticorum reliquiis deest nec legitur apud Herodotum (cf. Schweighäuseri indicem et Broschmann l. c. p. 17).

In Collitzii-Bechtelii inscriptionibus hoc verbum ne in nominibus quidem me legere memini (cf. IV 4, 2 p. 967).

Apud Herodam semel legitur V 28: δρῶντα; quid lateat in V 42: ΔΡΗΧΩ<sup>9</sup> obscurum est; bis δραίνω: I 15; II 95.

Apud imitatores (sc. Arrianum, Ps. Lucianum, Ps. Herodotum) non legi.

Nunc quod gravissimum est, de Hippocrateis videamus: indicem quem plenum esse spero subicio; deest δρᾶν in omnibus libris praeter hos <sup>1</sup>):

Π. τέχνης c. 5 (40, 21 G.): ἡ <sup>(\*)</sup>δρῶντές τι ἢ μὴ <sup>(\*)</sup>δρῶντες. Γυναικ. I c. 11 (VIII 44, 2 L.): \*δρᾶν. ibd. c. 57 (114, 13 L.):

1) notio duplex est: agendi aut medicandi i. e. ut medicum agendi; alterius notionis locos asterisco notavi.

δρᾶν. ibd. c. 67 (140, 15 L.): δρῶσί τε καὶ ἰητρεύονται. ibd. c. 68 (144, 23 L.): δρᾶν.

Γυναικ. II c. 116 (VIII 252, 16 L.): δρῶσαι. ibd. c. 118 (254, 9 L.): δράση. ibd. c. 133 (282, 15 L.): δρῶσι. ibd. c. 133 (286, 21 L.): \*δρᾶν. ibd. c. 133 (290, 18 L.): δράτω. ibd. c. 151 (326, 18 L.): δρῶσιν (non intellego locum). ibd. c. 185 (366, 17 L.): δρᾶν. ibd. c. 205 (394, 20 L.): δρᾶ C Θ: ποιεῖ vulg.

Ἐπιδημ. II c. III, 8 (V. 112, 3 L.): ξυνδρᾶν.

IV c. 43 (V 184, 8 L.): ὁ \*δρῶν cp. Κατ' ἰητρ. c. 2 (II 30, 9 Köhl.).

VI c. II, 7 (V 282, 7 L.): ξυνδρᾶν = II c. III, 8.

VI c. IV, 7 (V 308, 13 L.): \*δρᾶν.

Κατ' ἰητρ. c. 2 (II 30, 9 Köhl.): \*δρῶν. ibd. c. 3 (30, 12 K.):

\*δρῶν. ibd. c. 3 (31, 9 K.): \*δρῶν. ibd. c. 3 (32, 9 K.):

\*δρῶσαν. ibd. c. 4 (33, 8 K.): \*δρῶντα. ibd. c. 3

(32, 8 K.): \*δρᾶν. ibd. c. 7 (34, 4 K.): \*δρᾶν.

Μοχλικ. c. 5 (250, 2 Köhl.): δρῶσιν. δρᾶν.

accedit Π. ἰ. ν. 388, 16 et Π. νούσων II c. 75 (VII 114, 3 L.) in ultimo capite \*δρᾶν.

Quae res cum ita se habeat, mirum non est Aretaeum, sermonis Hippocratei imitatore et paene simiam, hoc vocabulo compluriens usum esse: δρῶσα 143, 14 Erm. δρῆν 233, 17; 257, 12. δρᾶν 269, 17 ~ Epidem. VI c. IV, 7 (V 308, 13 L.) (Ermerinsii indice usus sum).

Quid igitur? Primum peto, ut mihi liceat libros De arte et De morbis muliebribus seponere: nam de his quid statuam, nondum scio<sup>1)</sup>.

1) libri qui De morbis mulierum sunt, etiam verbi ἡρεμεῖν usu a reliquis scriptis Hippocrateis mirum in modum distant; nam fere omnium librorum sollemnis vox est ἀτρεμεῖν vel alia vocabula ab eadem stirpe derivata: leguntur in I. Π. ἰ. ν. (380, 5 ἡρέμασε traditum est in Θ, ἡρέμησε in M: hoc loco et propter rem et propter verba secludenda sunt ἀλλὰ τὸ πνεῦμα ἡρέμασε et καὶ τὸ αἷμα ἐστάθη). Π. ἄρθρων. Π. ἀγρῶν. Π. ἀέρων. Κατ' ἰητρ. Π. φουσῶν. Π. νούσ. I. Π. παθῶν. Π. ἐλκῶν. Π. αἰμορροῖδ. Π. διαίτης. Π. διαίτ. ὄξ. νόθ. Epid. III. Epid. II. VII. Π. ἀφόρων. Ἀφορισμ. Π. χυμῶν. Π. τόπων τῶν κατ' ἄνδρ. Παραγγελίαι. Π. νούσ.



In reliquos autem intento animo inquiramus.

Libros Epidemiarum (praeter I et III) in duas partes discedere Littreus ingeniosissime demonstravit (vol. V praefat.), quarum ab altera stant II IV VI (cf. l. c. p. 4—7), ab altera V VII (vid. p. 7—9). Quae partes inter se non arte conexae sunt (vid. p. 9/10). Ipsos autem libros II IV VI verbi *δρᾶν* usu coniungi vidimus. Et quod hac in re grave et pretiosum est, scimus, quibus in regionibus ii versati sint, a quibus hi libri compositi sunt (cf. Littré p. 10). Nuncupantur:

Crannon: II 1, 1. IV 14, 37. VI 1, 7. VI 3, 2.

Perinthus: II 1, 5. II 3, 1. II 3, 11. VI 2, 19. VI 7, 10.

Aenus: II 4, 3. IV 48. VI 4, 11. Acanthus: IV 20.

Abdera: IV 31, 56. VI 8, 30. 32.

Thasus VI 8, 29. 8, 32.

Corinthus: IV 40.

Praecipue igitur medici in Thracia nec non in Macedonia et Thessalia versati sunt. Sed si memineris apud Archilochum qui ipse quoque diu in insula Thaso vitam egit *δρᾶν* legi, haec haud male inter se congruere concedes.

At quid de libris *Κατ' ἰητρῆϊον* et *Μοχλικόν* statuendum? numquidnam iis cum libris Epidemiarum commune est? et quid omnino his de libris forma satis mirabili insignitis iudicandum? Hoc ut scire possimus — nam fortasse hoc sciri potest — longo circuitu opus est. Et quamquam de libri II. *ἰ. ν.* mantissa rem satis ad liquidum ut perdu-

---

II. III. II. τ. ἐντ. παθ. II. φύσ. παιδ. II. κρισίμων. At *ἴηρεμῆν* vel eiusdem stirpis vocabula non nisi his — quantum vidi: II. ἀγρ. 55, 22 Köhl. contra quinquies *ἀτρεμ-*, ita ut huic quoque loco fere diffidam, II. νόυσ. II (VII 30, 3 L.) *ἴηρεμέων*; notabilis locus II. νόυσ. III (VII 160, 17 L.) *ἀτρέμα* θ: *ἴρέμα* vulg. Sed valde distat usus librorum muliebr. morb. in quibus habes: VIII 36, 12: *ἴηρεμέως*. 46, 14: *ἴηρεμείτω*. 94, 1: *ἴηρεμαῖον*. 144, 23: *ἴρέμα*. 254, 4: *ἴηρεμῆν*. 274, 22: *ἴηρεμέως*. 306, 11: *ἴρέμα*. idem 320, 19. 344, 19. 324, 11: *ἴηρεμῆν*. non plus bis *ἀτρεμ-* 290, 18: *ἀτρεμέη*. 324, 11: *ἀτρεμῆν*. Apud Homerum *ἀτρέμα* aut *ἀτρέμας* legitur, *ἴρέμα* talia non apparent. Apud Herodotum *ἀτρεμίζειν* saepissime invenitur, *ἴηρεμῆν* deest. cf. etiam Erotian. p. 52, 4 Kl.

camus non continget, tamen quid efficere possimus experiamur.

Incipiendum est a libro illo satis miro et singulari, cui inscribitur Π. ὀστέων φύσις IX p. 168 sqq. L. Qui liber utrum iam totus in antiquitate exstiterit necne Ilbergius<sup>1)</sup> vehementer addubitavit idemque Galeno et Erotiano non nisi capita (1—7) + (11—19) innotuisse censuit. Sed mea quidem sententia rectissime contra dixit Frederichius Quaestion. Hippocr. p. 57 a, cuius ad argumenta lectorem relego. Quamquam, si ad Erotiani et Galeni glossas respexeris, fere non nisi de cc. (1—7) et (11—19) satis constat. Nota fuerunt Erotiano 1—7<sup>2)</sup>, Baccheo Erotiano Galeno 11—19<sup>3)</sup>. Ambigua res est in capite decimo, quod ad verbum e secundo Epidemiarum libro depromptum esse satis notum est. Quo in capite (p. 178, 18 L.) legitur ἐδιχώθη in codd.: ἐδιώχθη in cod. M: in II. libro Epidemiarum ἐδιώχθη C: διηρέθη I K: διαιρέθη Galen.: ἐδιαιρέθη vulg. Qua ex lectionum varietate haud immerito concluderis vocabulum genuinum quodque idem rarum erat perisse atque in eius locum glossemata varia irrepsisse. Qua de causa Heringa Obs. crit. p. 106 huc pertinere ratus est Erotiani glossam quae legitur 70, 6: ἐδικραιώθη·

1) Das Hippokratesglossar des Erotianus p. 135 (35).

2) p. 172, 21: συνοκωγή: Erotian. 116, 15. 174, 2: παραιωθεῖσαι: Erotian. 109, 4.

3) 182, 13: ἐκτετάρσονται: Erot. 124, 15. Galen. 578 Fr.

186, 21: ἐγκισσεύεται: Erot. 75, 5. Galen. 478 Fr.

188, 1: πλεκτανέων: Gal. 546. 188, 5: παραστάτας: Gal. 538.

190, 15: κοτυληδόνι: Gal. 506.

192, 2: μεμήρυκεν: Gal. 522. cf. Ilberg Comm. Ribb. 338/39.

192, 12: ἀποκεκάρπωκε: Erot. 50, 10. Gal. 438 Fr. Ilberg l. c. 347/8.

192, 22: ὑπονησαμένη: Erot. 129, 6. Gal. 584.

194, 2: ὠχέτευται: Gal. 600. 194, 5: ἰγκυροβόληται: Erotian. 75, 6.

194, 8: ἐνεκρίκωσε: Erot. 70, 7. 194, 9: ἐνεφλεβοτόμησε: Erot. 70, 8.

194, 11: ἐπορεξάμεναι: Gal. 472. 194, 12: ἀποσυριγγώσασα: Erot. 50, 11.

194, 17: ἰραχνίωκε: Gal. 480. 194, 20: ἐγχρίμπουσα: Erot. 72, 6.

196, 3: ἐξαθελγόμεναι: Erot. 70, 10. Gal. 414. 196, 3: ἐγκεχαλί-  
νωνται: Galen. 460.

εἰς δύο διηρέθη · neque hoc male excogitatum videtur; nam διηρέθη in maxima codicum parte legitur et δίκραια (sc. φύματα) invenimus Epid. VI 1, 6 (V 270, 11 L.). Itaque Erotiani glossam ad alterum utrum locum vel ad utrumque pertinere non veri dissimile est. Deinde si consideraveris, quibus cum glossis apud Erotianum ἐδικραιώθη cohaereat: antecedunt ἔδος, ἐσματευόμενον, ἐκθήλυνσις, ἐξάστις, ἐξαρύεται aut ex libro De articulis aut ex libro De officina deprompta; insecuntur ἐνεκρίωσεν, ἐνεφλεβοτόμησεν, ἐξαμελγόμενοι ex ipso De ossibus libello sumpta; deinde ἔλκος μυκονοειδές (?), ἐπίδοξοι, ἐκπεπλιγμένον, ἐγγωνίω<sup>1)</sup> e libris II. ἀγμῶν et Μοχλικῶ, fortasse non reiectaneum<sup>2)</sup> esse mecum putabis ἐδικραιώθη testimonio esse, iam Erotianum c. 10 libri De ossibus eodem quo nos loco legisse; sed tum vix dubitare licet quin idem valeat de cc. 8/9. Sed id quoquo modo se habet, librum De ossium natura talem qualem nos habemus Erotiano et Galeno antiquiorem esse fere mihi constat. Fuit autem is liber in eo ordine quem Erotianus secutus est, inter libros De officina et Vectiarium interpositus, quod ex glossarum ordine rectissime Ilbergius conclusit<sup>3)</sup>. Atque eundem ordinem fortasse etiam Galenus novit: sed hoc minus certum est. In glossario enim quod ille composuit duobus locis haec leguntur<sup>4)</sup>: 1) p. 114, 2 K. κοτυληθόνα · τὴν κοτύλην τοῦ ἰσχίου ἐν τε τοῖς προκειμένοις τῷ Μοχλικῶ καὶ τῷ β περὶ νούσων τῶ μείζονι.

1) cf. Mochlic. p. 253, 7 Kühl.; legit Erotianus: κατάτασις μὲν ἐγγωνίω τῷ πήχει πρὸς βραχίονα · atque hoc verum. ἐν σχήματι κοινῶ additamentum est. vid. Κατ' ἰητρ. p. 41, 1. 2 Kühl.

2) verum tamen non tacendum est, Erot. 124, 15 verbum τετάρσωνται (II. ὁ. φ.) tres glossas e sexto Epidemiarum libro desumptas antecedere.

3) l. s. c. p. 134 sqq.

4) codicum quibus ducibus utendum est (Laurent. 74, 3 s. XII = A, Vatic. gr. 277 s. XIV = R et qui ab altera parte stat Marc. 269 s. XI = M) lectiones mecum benigne communicavit Ilbergius, cui viro humanissimo hoc quoque loco gratias quam maximas ago.

2) 128, 1: παραστάτας · τὰς ἐπιδιδυμίδας ἐν τῷ περὶ φλεβῶν ὃ πρόκειται τῷ Μοχλικῷ. Utrumque autem vocabulum in libro De ossium natura legitur; itaque si verum est προκειμένοις et altero loco scribi oportet: πρόκειται stabilitur Erotiani ordo; sin autem contra, non dissolvitur: vide quae hac de re dixit Ilbergius l. c. p. 135. Quam ob rem libri antiquitus ita se exceperunt: De officina, De ossium natura, Vectiarius.

Nunc paulo altius inspiciamus.

Estne credibile librum De ossibus talem qualem nos legimus ante Vectiarium positum fuisse? Vide quam perturbatus, ne dicam ineptus tum rerum ordo sit! Computatur ossium numerus, insecuntur pauca de hominis visceribus, venarum descriptiones nonnullae; tum incipit Vectiarius, cuius capite primo explicate ossa describuntur. Sed haec leviuscula; nam hos libros quoquam vinculo inter se coniunctos fuisse quisnam nobis auctor est? At in codicibus B et V ad finem libri qui est De officina initium libri Vectiarii adscriptum legimus<sup>1)</sup>: cuius custodis ut dicere solent contra auctoritatem, si genuinum librorum ordinem restituere studemus, hos libros dirimere minime decet; hi enim custodes quam antiqui quamque graves ad veram librorum seriem restituendam sint, egregio exemplo Ilbergius<sup>2)</sup> docuit. Sed quid tum faciendum est? Mea quidem sententia relinquitur, ut post primum Vectiarii, qualis quidem nunc legitur, capitulum totum De ossium natura librum interponamus<sup>3)</sup>; tria hac

---

1) Köhl. II p. 45: ὥς μήτε διαναγκάζηται μήτε ἐνσταίηται. ὅστέων φύσις. δακτύλων μὲν ἀπλᾶ καὶ ὅστέα καὶ ἄρθρα.

2) Festschrift für Lipsius. Lips. 1894 p. 34. Secutus est primitus tertius Epidemiarum liber primum; cf. l. c. et Galen. VII 855 K. librum II. ἐβδομάδων liber II. νόσος. III. ibd. Ilbg. Atque hic ordo etiam Galeni temporibus valuisse videtur: cf. Ilbg. l. c. p. 37. cp. etiam Villaret II. φύσις ἀνθρώπου. p. 86; Jaeger Stud. zur Metaphysik d. Ar. 168. 181.

3) veri aliquid sensisse videntur Lindius et Ermerinsius, qui primum Mochlici caput ad initium libri II. ὁ φ. transtulerunt.

transpositione lucratur: custodis auctoritas conservatur; quomodo factum sit, ut libro qui plurimus est in describendis venis, inscriptum sit Περὶ ὀστέων φύσις, subito patefit; nam incipit primum Vectiarii caput a verbis: ὀστέων φύσις. Libri autem De venis initium valde mutilum esse Ilbergius e glossis quibusdam Erotiani suo iure conclusit et e venarum descriptione, quae exstat Π. ὀ. φ. cc. 2—7, hanc sententiam postea confirmatam videbimus, ita ut aliquid olim calamitatis et perturbationis huic libro accidisse veri dissimile non sit. Denique, si veram librorum De officina, De ossium natura, Vectiarii seriem restituimus, tam egregius rerum ordo evenit, ut antiquitus hos libros de consulto sic dispositos esse fere credere possis: exponitur in libro Κατ' ἰητρειῶν de officina, de luce, de instrumentis, de ligamentis, i. e. de artis chirurgicae elementis. Edocemur tum de ossium natura, de visceribus, de nervis, de venis i. e. de anatomia et physiologia; adnectuntur a c. 8 nonnullae aliae venarum descriptiones; applicat se Vectiarius: explicatur de fractis et de luxationibus. Concedes, si discipulum in arte chirurgica erudire velis, melius te et aptius procedere non posse.

Iam pergamus et de singulis libris videamus. Initium autem a Mochlico capere e re erit, quoniam de eo paulo confidentius iudicare atque ita toti quaestioni quasi fundamentum substruere liceat. Constat enim hunc librum totum fere e scriptis Π. ἀγμῶν et Π. ἄρθρων, egregiis illis quidem et lectione dignissimis, excerptum esse; quoque id modo factum sit, quam poterimus brevissime considerare opus est<sup>1)</sup>. Maxima pars libelli pendet a libro Π. ἄρθρων e. g. cc. 2—6, 20—25, 32—37, 43. Paulo pauciora e libro Π. ἀγμῶν deprompta sunt: 7—15. 30. 31 (?). 42. Et quod diligenti consideratione dignum est, pleniore

---

1) gravissima iam Littreus vol. IV. p. 335 sqq. constituit; sicut saepe, ingeniosissime; qui vir egregius quantum in multis quae ad Hippocratem pertinent quaestionibus praestiterit, perpetua admiratione dignum est.

quam quem nos legimus, librorum chirurgicorum textu usus videtur esse; quod comprobatur cc. 16. 17. 18<sup>1)</sup>. De cc. 27. 28. 29 non satis mihi constat; nam singulis de rebus priusquam iudicari possit, in universum librorum Π. ἀγμῶν et Π. ἄρθρων condicio diligentissima disquisitione eget; equidem hos libros mutilos nec non perturbatos esse crediderim, eosdem partes non plenas unius maioris libri, qui ad nos non pervenit. Sed his in praesens sepositis tamen illud certum est eum qui librum Vectiarium excerptendo confecit, minime artis medicae imperitum alieni cogitata et scripta anxie presseque secutum esse, immo ea quae obiter tacta diversis locis legebantur, coniuncta proposuit, ut commodius inspici possent (sic enim iudicaverim de cc. (1). 11. 15. 38. 40. 41; quamquam in singulas res inquirere hic nequeo atque ea omnia propriis disquisitionibus digna sunt), interdum etiam de suo nonnulla addidit: cf. Π. ἄρθρων 122, 5/6 Kühler. ~ *Μοχλικ.* 249, 20/23 et Π. ἄρθρ. 206, 13/19 ~ *Μοχλικ.* 258, 2/4, quo loco paulo accuratius iudicavit quam libri De articulatis auctor, cum πλὴν κόπου, πυρετοῦ, φλεγμονῆς adiungeret. Quin etiam additamentum, quod in alio libro Hippocrateo iterum legitur, inseruit: capitis 39 initium; quod quo loco legitur aptum non est, occurrit in Epidem. lib. IV 19 et VI 1, 3. Hoc memoria teneamus. De capitis exitu nihil compertum habeo. Satis mira sunt cc. 7. 8. 9 quae cum cc. 12. 13. 14 comparare opus est: duplicem excerptorum seriem deprendimus, cuius exemplum adhuc, si verum vidi, exstat: sunt autem cc. 39/43 libri Π. ἄρθρων. Hoc quoque memoria tenendum est. Denique ut etiam id breviter perstringam, librum Vectiarium non a chirurgicorum librorum auctore confectum esse persuasum mihi est. Quae sententia vel propter ea additamenta quibus quodammodo illius sententia impugnatur verisimillima, confirmatur nonnullis sermonis diversitatibus: semper in libris Π. ἀγμῶν et Π. ἄρθρων ἐξαπίνης adhibetur — nisi

1) Littré l. c. p. 336.

quod in iis partibus quae e Vectiario translatae sunt (hoc quoque mirum) ἐξαίφνης legitur —, at in Vectiario solum ἐξαίφνης adhibetur; et, quod idem memoria non indignum est, in libris chirurgicis ὄρᾶν plane deest, in libro Vectiario bis legitur: Μοχλικ. 250, 1: ὅσα τε τὸν πῆχον πλάγιον ἀπὸ πλευρέων ἄραντες ὄρῳσιν, οὐ πάνυ δύνανται ὄρᾶν cum Π. ἄρθρ. 132, 18, quod enuntiatum simillimum est: ὅποσα δὲ δεῖ ἐργάζεσθαι παραφέροντας τὸν βραχίονα παρὰ τὰς πλευράς ἐς τοῦπίσω ἢ ἐς τοῦμπροσθεν, ταῦτα δὲ δύνανται ἐργάζεσθαι.

Haec quae de libro Vectiario dicenda erant, omnia satis certa sunt, quia, cum libros genuinos quibus excerptor usus est habeamus, quamquam mutilos, et eum quem ex illis compilavit, quid voluerit quidque praestiterit satis bene cognoscere licet.

Nunc ad ea pergere opus est, quae nisi coniectando aut suspicando dispicere non licet; quae res praecipue in libro qui est De ossium natura eo difficilior est, quod huius libri textus misere traditus nec bene editus est. Quia de causa quantum quidem ipse intellegebam ubique textum restituere conatus sum, neque, quin hac in re interdum et fortasse graviter errarim, dubito: sed ad ipsam rei summam hoc ut pertineat fore non spero. Et eum qui ad librum tam difficilem pervestigandum paene primus accedit, etiam ad errandum paratum esse decet.

Primum singula libri Π. δ. φ. capita breviter percontemur. 1<sup>a</sup> = Mochlic. 1: describuntur ossa. 1. computantur ossa; adduntur nonnulla de visceribus. 2. brevissime describuntur duo venarum rami. 3. de nervis explicatur. 4. renum venae. 5. costarum venae. 6. venae quae a claviculis tendunt. 7. de magna quadam vena, quam ἥπατιτιν haud immerito nomines. Haec inter se cohaerere possunt. 8. Syennesis venarum descriptio, sed plenior quam quae apud Aristotelem exstat. 9. Polybi venarum descriptio, plenior quam quae in Animalium historia legitur, sed consimilis eius quam in libro Π. φ. σ. ἀνθρ. c. 11 habemus. 10. hepatitidis descriptio, accedunt

nonnulla de τόνοις ~ Epidem. II 4, 1. 11—19 magna venarum descriptio. Quorum capitum in praesens seponamus 1<sup>a</sup>, 1, 8, 9, 11—19<sup>1</sup>). Paulo diligentius quantum quidem in hac textus ruina fieri potest cc. 2—7. 10 atque praecipue venarum descriptiones consideremus. c. 3 nervi satis explicate describuntur neque fere quidquam in hac parte est, quod offensioni esse possit, nisi quod nescio, quid faciam v. 7 ὀστέοισι συνδέσμοισι. Finitur hoc caput quod de nervis est v. 10: τὸ δὲ ἐς περόνην. Tum lacuna satis magna statuenda est, in qua copiosa venarum descriptio incipiebat: non enim licet ἄλλαι δὲ quod in D F G H I J K traditur, abiecto ἄλλα legere, cum perbene inter se cohaereant ἄλλαι δὲ (sc. φλέβες) ἐς τοὺς νεφρούς· αὐταὶ δὲ αἱ φλέβες κτλ. Sequitur renum descriptio et earum venarum quae a renibus ad vesicam tendunt; quae inter se bene cohaerent usque ad v. 20, quo legitur διὸ δὴ ἐρυθρόν ἐστίν· quae mihi quidem cum antecedentibus minime cohaerere videntur; num ideo urina rubra est, quod est ἀποκρινόμενον ἀπὸ τοῦ αἵματος? Immo crediderim post τὸ οὔρον graviter interpungendum et sic legendum esse: διὸ δὴ ἐρυθρόν ἐστίν; οὐδὲ γὰρ κτλ. Habemus notam a quodam qui aliter sentiebat adscriptam. Difficilius caput 5 est, quo costarum venae explicantur; puto v. 24 cum H I K L ζῆ θ' recipiendum et post πλευρῆσι lacunam statuendam esse. Contra v. 27 καὶ addere opus non est neque 172, 1 mutandum est ἀλλ' ἴσας in ἄλλη ἴσας; immo intellegi pos-

1) fortasse operae pretium est adnotare inter c. 11—19 et ea quae Aristoteles in h. a. Γ 3 (513 a 15 sqq.) protulit, aliquam similitudinem intercedere, quamquam is qui 11/19 conscripsit venas ab arteriis non distinxisse videtur. Fiunt venae in fine νερώδεις 513 b 15 ~ 188, 1 sq. pulmonī venae distribuuntur 513 b 15 sq. ~ c. 13. 14 initio. caput venis cingitur 514 a 19 sq. ~ 182, 10 sqq. Sed eadem ratio inter Aristotelem et cc. 2—7. 10 est; de costarum venis 513 b 29 ~ c. 5. 7, 19/20. fortasse etiam σφαγίτιδες comparandae: 513 b 34 sqq. ~ c. 6. 514 b 18: καὶ γίνεται εἰς τοῦπισθεν μᾶλλον ἢ μεγάλη φλέψ τῆς ἀορτῆς ~ 178, 20: ὥσπερ καὶ παρ' ὀσφὸν κάτωθεν τῆς ἀρτηρίης. Haec omnia alio tempore diligentius perquirenda sunt; crediderim cc. 2/7 antiquiora esse quam 11/19, haec quam Aristotelis descriptionem.



sunt quae tradita sunt: ἔπειτα ἡ μὲν διὰ μέσων σπονδύλων μέχρις ἄκρων πλευρέων πορεύεται, πλευρηῶσιν οὐκ ἐξ ἴσου διαδοῦσα τῆσιν δεξιῶσιν (τοῖσι — οῖσι codd.) τῆσιν ἀριστερῶσιν διασχίδας· ἀλλ' ἴσας μὲν, ἀνωτέρωθεν δὲ ἐν τοῖσι δεξιῶσιν ἀποσχίζεται· quae si oppositum οὐκ ἐξ ἴσου . . . ἀλλ' ἴσας recte perceperis, quamvis torte pronuntiata, tamen mutatione non egent. Sed illud ἡ μὲν (v. 26) cum nullum habeat δὲ quod respondeat, verisimile est post ἀποσχίζεται (172, 2) plura intercidisse. Sequitur caput 6, quo de venis a claviculis tendentibus exponitur. Capite septimo magna vena describitur, quod idem gravissimum et difficillimum est. Ubi haud scio an v. 11 φλέψ delendum sit, pro ἐφ' ἐωυτῆς ἀφ' ἐωυτῆς aptius videatur. v. 14 pro ἡ lego ἦ virgula quae est post μετέωρος (v. 15) deleta; v. 17 post διέχοντα graviter distinguo; v. 18 et quae secuntur fortasse sic legenda: ἡ παλινδρομεῖ, ἐς μὲν τὸ ἄνω τοῦ σώματος ἄχρι τῶν ἀνωτάτω πλευρέων (lacuna satis magna), καὶ ἀποσχίδας κτλ. In insequentibus num genuina sint v. 23: καὶ ὁ τῆς ἀπὸ τοῦ ἥπατος φλεβός et v. 25: ὁ δ' ἕτερος ὁ παρὰ καρδίην merito dubitaveris; sed in tam obscura re nihil certi statuere ausim.

Capitis decimi conexum paucis adumbrare liceat.

Hepatitis a coxa ad magnam vertebram,  
 tum adplicat sese ad vertebrae  
 tum pendens per iecor et praecordia in cor  
 tum recta via ad claviculas;

ἡ μὲν verum videtur; quid sibi vult imperfectum? a claviculis nonnullae venae tendunt, de quibus usque ad v. 11: ἐς τὰ ἀριστερά. v. 8 malim αὕτη. ἐκατέρωθεν non intellego.

tum reditur ad hepatin: nam v. 13 μετεωρίζεσθαι de ea sola dici poterat; deflexa igitur ad vertebrae descendit quoad eodem pervenit, unde pendere coepit. Distribuit venas costis, quoad consumpta est et eo pervenit, unde pendere coepit.

v. 17 ἡ ἥπατις delere fortasse melius est. quae insecuntur, fere desperanda sunt; ἐδιχώθη vel ἐδικραιώθη non intellego, nisi licet vertere: *duos ramos a se mittit*. sequitur additamentum de ratione

quae inter hepatitin et arteriam intercedat, quodque ita lego: ἡ δὲ εὐθειᾶ ἀπὸ καρδίας πρὸς κληϊδας τείνουσα ἄνωθεν τῆς ἀρτηρίας ἐστὶν καὶ ἀπὸ ταύτης (sc. τῆς καρδίας) ὅσπερ καὶ παρ' ὀσφὺν κάτωθεν τῆς ἀρτηρίας [καὶ ἀπὸ ταύτης] (falso ex antecedentibus repetita) κτλ.

Reditur ad hepatitin: αἴσσει <δὲ> ἐς τὸ ἥπαρ ἡ μὲν ἐπὶ πύλας καὶ λοβόν (partim-partim), ἡ δ' ἐς τὸ ἄλλο· ἐξῆς τὰ φορμηχεῖτ' σμικρὸν κάτωθεν φρενῶν. secuntur quaedam interposita; finis descriptioni hepatitidis imponitur p. 180, 7: ταύτη πη παλινδρομήσασα ἀπὸ καρδίας ἡ ἥπατιτις ἔληγεν.

Nunc si paululum subsistimus et quae in cc. 5. 6. 7 exposita sunt cum c. 10 comparamus, mihi quidem aliquid elucere videtur, quod quamquam mirum, tamen ita se habere vix negari potest: simillima esse ea, quae utraque in libri parte de venarum situ exponuntur. Quod quodammodo vel de iis venis valet quae a claviculis proficiunt; nam vide:

c. 6: venae a claviculis tendunt:

- a) duae sursum.
- b) duae sub pectus.
- c) duae magis ad cor versae.
- d) ab utraque ad costas.  
absque his <aliae> discedunt  
? ut eae quae infra sunt?, quoad  
coniunguntur cum ea quae a  
corde deorsum deflectit.

c. 10 initio: hepatitis ad claviculas proficiscitur; unde aliae tendunt:

- a) nonnullae ad cervicem.
- b) nonnullae ad scapulas.
- c) nonnullae deorsum deflectunt  
ad costas et vertebrae.  
α) una prope claviculas.  
β) ἄλλη ..? ἐκατέρωθεν? ἀποκαμφθεῖσα.  
γ) alia ad costas,  
donec sinistrorsum inflexa ad  
eam devenit, quae apud ipsum  
cor est.

sed etiam magis de ipsius hepatitidis descriptione cum crassa illa comparata; liceat nonnulla enuntiata iuxta ponere:

172, 13: ἔστι δὲ κατὰ μὲν ὀσφὺν ἄνω ἡ ἀρτηρία, ὑποκάτω δὲ ἡ αἰμόρρους· ἡ ἀπὸ τοῦ 14. ἥπατος διὰ φρενῶν ἐλθοῦσα μετέωρος ... φέρεται ἄχρι κληϊδων, ἀπλῆ (i. e. non divisa) πλὴν ὅσον αὐτῇ καρδίῃ κοινωνεῖ.

178, 20 sqq.: hepatitis est καὶ παρὰ ὀσφὺν κάτωθεν τῆς ἀρτηρίας

178, 4: hepatitis ἐντεῦθεν μετέωρος δι' ἥπατος καὶ διὰ φρενῶν ἐς καρδίην, καὶ ἡ μὲν εὐθειᾶ ἐς κληϊδας

17: ἔπειτα (crediderim cum a clavicula et a corde p̄rgit). ἀπὸ τῆς καρδίας τὸ ἐπ' ἀριστερὰ κάθεται ἀπλῆ πρὸς ῥάχιν.

23: etiam haec: πρὸς δὲ τὸ κάτω μέρος <ἀπὸ> τῆς καρδίας ὁ μὲν ἰθὺς τόνος [ἀπ] αὐτῆς πρὸς σφονδύλων μᾶλλον ἔστιν ἢ ὁ τῆς ἀρτηρίας.

178, 15: ἀπὸ μὲν τῆς καρδίας ἐπὶ τι χωρίον ἐν τοῖσιν ἀριστεροῖσι μᾶλλον ἔοῦσα.

178, 16: ἔπειτα (sc. ἀπὸ τῆς καρδίας) ὑποκάτω τῆς ἀρτηρίας.

de costarum venis 172, 20/21 + c. 5 cum 178, 13/15 conferendis iudicare difficile est, praesertim cum c. 5 tam valde deletum sit. Sed monere e re est, utrumque scriptorem easdem res iisdem vocibus haud ita tritis nominasse: 172, 14/15: μετέωρος ~ 178, 4. 172, 20 ἀποσχίδας ~ 178, 14. 172, 18: παλινδρομεῖν ~ 180, 7.

Igitur non modo illud certe statui posse puto: rationes quasdam satis artas inter cc. (5). 6. 7 et c. 10 interesse: sed, quamquam utraque pars tam salebrosa mutila difficilis est, tamen fortasse etiam longius procedere licere atque rem ita verbis circumscribere: eiusdem descriptionis quam satis magnam et copiosam fuisse cogitare opus est, partes decurtatas nec non mutilas et cc. 5/7 et c. 10 esse. Ac vix cc. 2. 3. 4 hinc dirimenda sunt.

Hic quaestionis cursu in praesens relicto antea de cc. 1<sup>a</sup>. 1 videamus. Capitulum 1<sup>a</sup> = Mochlici 1 cum libris Π. ἀγμῶν et Π. ἄρθρων quin arte cohaereat dubitari nequit: eadem de ossibus et imprimis de spina docentur. Deinde c. 1 computatio ossium sequitur: et, quod notandum est, v. 4—7 contra dicitur. Memineris, si recte de 170, 20/21 egimus, hoc quoque loco tale additamentum deprendi. Reliqua quae de visceribus docentur lacunosa esse quivis fere versus indicat; vide praecipue v. 8: ἐκ δ' αὐτῶν quod quo referatur non habet. v. 13/15 hominis intestina cum canis comparantur, quod quam bene ad auctoris Π. ἄρθρων indolem aptum sit, qui libenter aliorum animalium exemplo utitur, vix exponi necesse est<sup>1</sup>).

1) vide Π. ἄρθρων c. 8 et p. 133, 6 Köhl. nec non quae Gomperzius monuit Griech. Denker I<sup>1</sup> p. 454 ad p. 253/4.

Sed de venarum descriptione quid statui potest? Primum φλέβες τόνοι τένοντες νεῦρα et in libr. Π. δ. φ. et in Π. Π. ἀγμ. Π. ἄρθρ. distinguuntur. Rami venarum appellantur Π. δ. φ. ἀποσχίδες 172, 5; 174, 1; 178, 4. διασχίς invenitur Π. ἀγμ. 107, 2: παρὰ τὴν διασχίδα. De communitatibus quibusdam verba fiunt Π. δ. φ. 180, 16: κοινωνήματος; 172, 16: αὐτῇ τῇ καρδίῃ κοινωνεῖ, idem sed aliis in rebus Π. ἀγμ. 170, 22; 178, 13 (cf. de eo quod est ἀδελφίς Π. ἄρθρ. c. 57). Praecordia ad spinam alligata sunt: Π. ἄρθρ. 164, 4; 173, 1 ~ Π. δ. φ. 174, 1; 180, 4. Ea quae de venis costarum Π. δ. φ. 170, 22; 178, 13; 172, 20 exponuntur comparari possunt cum iis quae Π. ἄρθρ. 185, 14 de fossis quibusdam iuxta costas se ferentibus docentur.

Quas omnes res ad persuadendum nondum satis aptas esse non nego. Sed vide reliqua.

Venae ab arteriis distinguuntur: Π. δ. φ. cc. 5. 7. 10; idem manifesto fit Π. ἄρθρων 223, 6. Venae aut φλέβες aut αἰμόρροι φλέβες nominantur: Π. δ. φ. 172, 9 et saep.; idem fit Π. ἀγμ. 65, 4 (cf. Π. ἄρθρ. 243, 14). Π. δ. φ. et cc. 4. 7 et c. 10 imprimis illud notatur, quaenam ratio sit inter arteriarum et venarum situm, quaenam supra, quaenam infra sit; quod comparandum est cum Π. ἄρθρων 171, 17 sqq. quo loco ni fallor res conficitur; exstant enim haec: ἄλλοι δὲ τινες τόνοι νευρώδεις πρόσφυτοι παρατέτανται ἔνθεν καὶ ἔνθεν αὐτῶν (sc. τῶν σφονδύλων)· αἱ δὲ φλεβῶν καὶ ἀρτηριῶν κοινωνίαι ἐν ἐτέρῳ λόγῳ δεδηλώσονται, ἕσαι τε καὶ οἶαι καὶ ἕθεν ὠρμημέναι καὶ ἐν οἷς οἶα δύνανται αὐτὸς τε ὁ νοτιαῖος οἷσιν ἐλύτρωται ἐλύτρωσιν καὶ ἕθεν ὠρμημένοι τε καὶ ἕπη κραίνουσι καὶ οἷσι κοινωνέουσι καὶ οἶα δυναμένοισιν.

Itaque ut quae sentio breviter exponam, auctorem librorum Π. ἀγμ. et Π. ἄρθρ. hunc quem promisit librum de venarum situ re vera conscripsisse existimo atque huius libri excerpta et frustula superesse in l. Π. δ. φ. cc. 3. 4. 5. 6. 7 et 10. Cui libro fortasse nonnulla de ossibus et visceribus praemiserat, quorum reliquiae in cc. 1<sup>a</sup> et 1 servatae sunt.

Atque haec excerpta, nisi quod hic habemus mutila,

illic satis plena et bene tradita, eiusdem farinae sunt atque ea quae libro Vectiario continentur. Habemus eiusdem rei duplicem expositionem in libro Π. δ. φ. c. 6. 7 ~ 10: idem in Mochlico. Habemus additamenta, quibus quae prolata erant emendantur: Π. δ. φ. 168, 4/7; 170, 20/21: idem in Mochlico. Habemus locos qui mirum in modum cum Epidem. II. II IV VI congruunt: Π. δ. φ. 168, 13/14; c. 10: idem in Mochlico. Accedit quod antiquitus arte inter se hi libri conexi erant. Quibus de causis quin ab uno eodemque haec excerpta confecta sint non dubito. De cc. 8. 9. 11—19 postea pauca addentur.

Brevius agere licet de libro Κατ' ἰητρῆϊον.

Nam pleraque quae dicenda erant, recte Littreus dixit. Ipsa iam libri forma hic quoque excerpta ad maioris cuiusdam libri exemplum confecta nobis tradita esse indicatur, qua de re iam Littreus cogitavit vol. III p. 268. Neque quemquam fugere potest, quam aptus hic libellus ad libros chirurgicos praeparandos esse potuerit. Quibuscum et librum De officina et eius exemplum arte cohaesisse idem Littreus perspexit, ut qui III p. 266/7 recte monuerit locum I. Π. ἀγμ. qui est II p. 53, 10 Köhl.: πλῆθος δὲ τῶν ὀθονίων ἱκανὸν τὸ πρῶτον αἰ δύο μοῖραι vix apte explicari posse, nisi assumpseris quae in libro De officina p. 39, 11 sqq. de ligamentis exponuntur. Neque obliviscendum est loci in libr. Π. ἄρθρ. exstantis p. 125, 15 Köhl.: ἀλλὰ διοριεῖται περὶ ἀνατρίψιος ἐν ἄλλῳ λόγῳ<sup>1)</sup>: agitur de frictione in libro De officina p. 41, 14 sqq., quamquam brevissime, sed ut solet in excerptis. Cum quinto libri Π. ἀγμῶν capite consentit c. 18 libri Κατ' ἰητρῆϊον. Atque, ut ne pusilla quidem omittam, monere haud supervacaneum est, perfecti a stirpe στα — formati formas plerumque in

1) talia in libris Π. ἄρθρ. et Π. ἀγμ. haud raro inveniuntur: cf. II p. 127, 2/3; 129, 11/13; 146, 19; 153, 5/6; 163, 9 sq.; 167, 3; 188, 18; 202, 9/10; 206, 4/5. Köhl.; neque semper proprium librum intellegendum esse apparere videtur ex 152, 12 quod spectat ad c. 69. De 129, 11/13 et de descriptione quae est Π. ἀδένων οὐλομελείης cf. Diels Berl. S. B. 1910 p. 1153 sq.

— εώς fingi<sup>1)</sup>, quam consuetudinem ut raram in reliquis Hippocrateis, ita librorum chirurgicorum propriam esse supra p. 41 probavi.

Denique excerptorum indoles non diversa est a reliquis: capita ex aliis libris inculcata habes: c. 18 ~ Π. ἀγμ. c. 5. c. 20. ~ Π. ἄρθρ. 206, 13/19. Mochlic. 258, 2; duplicem eiusdem rei expositionem habes c. 19: cf. c. 15. c. 21: cf. c. 8. Cum Epidem. IV 43 cohaerere videntur cc. 1. 2. Et quamquam quantum vidi ea additamenta, quae critica appellare possis, desunt, habes eodem modo atque in Vectiario semel atque iterum verbum δρᾶν. Quam ob rem quin liber qui est De officina cum eadem excerptorum serie coniungendus sit non dubium videtur.

Itaque haec statuenda sunt: libri qui sunt De officina, De ossium natura, Vectiarius in antiquo illo ordine quo usus est Erotianus et fortasse etiam Galenus non casu quodam inter se coniuncti erant, sed re vera inter se cohaerebant.

Sunt autem liber De officina, De ossium natura cc. 1<sup>a</sup>, 1—7 et 10, Vectiarius excerpta ab uno homine confecta ad exemplum nonnullarum scripturum maiorum, (quae tamen fortasse uno libro comprehendebantur; hoc sciri nequit) quas idem composuerat qui libros Π. ἀγμῶν et Π. ἄρθρων conscripsit.

Necdum ad finem pervenimus. Immo iam cum libros De officina, De ossium natura, Vectiarium perlustraremus, in locos non ita paucos et satis mirabiles incidimus, qui cum libris Epidemiarum II IV VI ita cohaerebant, ut quendam inter hos libros conexum esse cogitari fere necesse esset. Qui loci nunc in iudicium vocandi sunt.

Vectiarii caput 39 vix suo loco stat atque eiusdem capituli initium bis, et semel ad verbum, in Epid. libris VI et IV legitur; habemus in Mochlico haec (II 270, 7 Kühl.): οἷον ὀστέον ἀπὸ ὑπερώης ἀπ᾿ἤλθεν, μέση ἕξει ἡ ρῖς

---

1) 30, 12: ἔστεώς; 32, 7: ἔστεῶτα; 33, 17: ἐφαστεῶτος; 37, 6: ἀφαστεῶτα; sed 45, 4: διεστηκότων.

τούτοις · quocum plane consentit Epid. VI 1, 3 (V 266, 8 sq. L.): ὅσοισιν ὀστέον ἀπὸ ὑπερώης ἀπῆλθε, τούτοις μέση ἴζει ἢ ῥίς · οἷσι δὲ ἔνθεν οἱ ὀδόντες, ἄκρη σιμοῦται · idem in brevius contractum Ep. IV 19 (V 156, 5 sq. L.): ὧν μὲν ἐκ τῆς ὑπερώης ἀπέρχεται, μέση ἴζει ἢ ῥίς · ὧν δὲ οἱ ἄνω ὀδόντες οἱ ἔμπροσθεν, πλατεῖα ἄκρη. Quae si inter se comparaveris, fere iudicaris Vectiarii locum e pleniore quodam exemplo excerptum esse, quod adhuc habemus Epid. VI 1, 3. Ego quoque hoc certum esse statuerem, nisi in Vectiario addita essent haec: οἱ δὲ φλώμενοι κεφαλᾶς ἄνευ ἔλκεος ἢ πείσαντος ἢ κατάξαντος ἢ πείσαντος, τούτων ἐνίοισι τὰ ὀριμέα ἔρχεται ἀπὸ κεφαλῆς κατὰ τὰς φάρυγγας καὶ ἀπὸ τρώματος ἐν τῇ κεφαλῇ ἐς τὸ ἦπαρ καὶ ἐς τὸν μηρόν. Quae unde deprompta sint, nescio; similis doctrinae vestigium fortasse exstat in Epid. II 5, 4 (V 128, 16 sqq. L.): ἦν τὴν κεφαλὴν ἀλγέη, ἐς στήθος ἔρχεται, ἔπειτα ἐς τὸ ὑποχόνδριον, ἔπειτα ἐς τὸ ἰσχίον, πάντα δὲ οὐχ οἷόν τε ἀλγεῖν. Fortasse certius iudicare liceret, si nobis superstes esset liber Π. τραυμάτων καὶ βελῶν. Sed quoquo modo haec res se habet, has duas capitis partes e diversis locis depromptas esse crediderim, neque enim quidquam, quo inter se contineantur, video. Tamen excerptorem Epidemiarum libros, immo eas schedas e quibus ei libri compositi sunt praesto habuisse, cogitare licet.

At contra liber De officina adhibitus videtur esse in Epidem. IV 43, quo loco haec leguntur: ὅτι τοῖσιν ὄμμασι, τοῖσιν οὐάσι, τῆσι ῥίσι, τῇ χειρὶ αἱ κρίσεις καὶ τᾶλλα οἷσι γινώσκομεν · ὁ ἀσθενέων, ὁ ὀρῶν (ιδρῶν codd.) ἢ θιγῶν ἢ ὀσφρανθεῖς ἢ γευσάμενος, τὰ δ' ἄλλα γνούς · quibuscum recte comparavit Littreus Κατ' ἰητρ. c. 2 (II p. 30, 4 Kühn.): ἂ καὶ ἰδεῖν καὶ θιγεῖν καὶ ἀκοῦσαι ἔστιν, ἂ καὶ τῇ ὄψει καὶ τῇ ἀφῆ καὶ τῇ ἀκοῇ καὶ τῇ ῥινὶ καὶ τῇ γλώσση καὶ τῇ γνώμῃ ἔστιν αἰσθέσθαι, ἅ, οἷς γινώσκομεν ἅπασιν, ἔστιν γνῶναι · sequitur v. 8/9: ὁ ἀσθενέων, ὁ ὀρῶν.

Neque magis dubito quin suo loco stet in libro Π. ὁ. φ. c. 1 (IX 168, 13 L.): τὰ κῶλα ἔχει κονὸς μείζω · ἦρτηται δὲ ἐκ τῶν μεσοκώλων · ταῦτα δὲ ἐκ νεύρων ἀπὸ τῆς ῥάχιος ὑπὸ τὴν γαστέρα · quod translatum est in Epidem. I.

VI 4, 6: τὰ κῶλα ἔχει οἷα κονός, μείζω δέ· ἤρτηται ἐκ τῶν μεσοκώλων· ταῦτα δὲ ἐκ νεύρων ἀπὸ τῆς ῥάχιοσ ὑπὸ τὴν γαστέρα.

At dubia res est in c. 10 libri Π. ὁ. φ. quod cum Epidem. II 4, 1 ad verbum consentit; nam cum supra monuerim tales duplices eiusdem rei expositiones in his excerptis identidem deprehendi posse (ac vix illud officit quod in libro Π. ὁ. φ. p. 180 complura adduntur, quae alibi non leguntur), ita ut hinc haec in librum Epidemiarum translata esse fere defendi possit, Littreus Galeni auctoritate usus caput decimum ex secundo Epidemiarum huc insertum esse contendit (vol. I p. 419; sed hoc loco omnino nimis inique de libro Π. ὁ. φ. iudicavit); ac ne hoc quidem explicatione caret: licet enim putare et eum qui librum De ossibus scripsit et eum qui Epid. II 4, 1 composuit, genuino libro usum esse; tum autem cum venarum descriptioni reliquae adderentur, quae nunc in libro Π. ὁ. φ. leguntur, etiam illam e secundo Epidemiarum desumptam huc devenisse.

Sed hoc minoris momenti; illud apparere puto: eum conexum qui inter Epidemiarum libros II IV VI et libros De officina, De ossium natura, Vectiarium interest, casu factum esse non posse. Ac, ni fallor, illud facillime ita explicari potest, si eum qui excerptorum seriem confecit, ex eadem medicorum familia fuisse, quarum notas collectas in libr. Epidem. II IV VI legimus, statuamus; namque hos libros vix ab uno homine conscriptos esse, possis addere ne una quidem aetate, Littreum recte suspicatum esse existimo (V p. 28). Illa quam proposui sententia etiam ea re confirmatur, quod, sicut iam supra monui, verbum ὀρθῶν a libris chirurgicis plane abest, legitur in Vectiario et in libro qui est De officina: atque idem occurrit in libris Epidem. II IV VI (locos vide supra p. 52). Neque omnino haec sententia male ad totam Epidemiarum indolem quadrat, cum eos medicos libris instructos fuisse iisque in notulis conscribendis usos esse Littreus (V 28 sqq.; interdum fortasse nimis curiose) demonstrasse mihi quidem videatur; nam quamquam neque in Epid. II 1, 8 cum



Π. ἄρθρ. c. 41 (II 165, 2 sqq. Kühnl.) comparato neque in II 1, 8: καὶ αἱ μετριότητες ~ Π. ἄρθρ. c. 8 (II 123, 19 sqq. Kühnl.) insistam, tamen nonnulla fortasse non reiectanea sunt: Epid. VI 1, 2 ~ Π. ἄρθρ. c. 12 (II 132, 3 sqq. Kühnl.) et iis quae legimus Epidem. II 76, 6: ὄρχις οἰδήσας ἀπὸ βηχέων ὑπόμνημα κοινωνίης στηθέων μαζῶν γονῆς φωνῆς et ibd. II 3, 17: τὰ πρὸ τούτων βάρσα ἀδελφὰ τῶν ὀκταμήνων πόνων et ibd.: διὸ τὰ γάλακτα ἀδελφὰ τῶν ἐπιμηνίων fere de communitatibus quas in libro Π. ἄρθρων cognovimus et de eo quod ἀδέλφιξις auctor nominavit (ibd. c. 57 (II 202, 3 sqq. Kühnl.)), admonemur. Fortasse etiam liber Π. ἀέρων iis notus fuit: cf. Epid. II 1, 8: ἡ ἀρχαίη φύσις · σκεπτέον καὶ τὰ ἀπὸ τῶν διαιτέων · τὰ μακροκέφαλα, quod Littreus ad illius libri caput 14, quo copiose de macrocephalis exponitur pertinere censet; sed quid sibi velit Epid. VI 4, 8 cum Π. ἀέρων c. 8 (I 45, 18 sqq. Kühnl.) comparatum, non satis intellego. Possis forsitan conferre inter se Epid. VI 5, 15 (V 320, 1 L.): κεδμάτων τὰς ἐν τοῖσιν ὡσὶν φλέβας σχίζειν et Π. ἀέρ. c. 22 (I 64, 20 sqq. Kühnl.). Non satis certum videtur Epidem. VI 4, 7 et Π. διαίτης δξ. c. 4 (I 110, 15 sqq. Kühnl.) inter se coniungere. Etiam illud, quod Littreus miratus est, nullas fere notulas ad chirurgiam pertinentes in Epid. II IV VI reperiri (cf. V 36), fortasse nunc minus mirabile videtur, cum cognovimus eos medicos quantum ad chirurgiam pertinebat libris Π. ἄρθρων Π. ἀγμῶν aliisque eiusdem auctoris usos esse<sup>1)</sup>.

1) de temporum ratione quaestio adhuc admodum obscura est. Nam simodo ex Epid. IV 21 cum Aristot. meteorolog. I 6 et Thucyd. III 87. 89 (cf. R. E. s. v. Euklees) comparato Littreus (V 16 sq.) recte coniecit, hanc notulam a. a. Chr. n. 427/6 posteriorem non esse, inde minime concludere licet omnes tam antiquas esse. Attamen libros Epid. II IV VI exeunte s. V. recentiores esse haud veri simile mihi videtur. Sed recte his de rebus iudicari non poterit nisi Epidemiarum libris diligentissime pervestigatis.

Ceterum quin de II. V. VII Littreus erraverit, non dubito. Constat sane locis qui sunt et V 100 et VII 110 hos libros a. 309/8 (cf. Beloch III, 1, 139) recentiores non esse; sed V 95 et Dati obsidione et catapultarum usu satis demonstratur, haec ante Macedonum tem-

At ut tandem ad ea redeamus, unde profecti sumus, quae statuta sunt, breviter complectamur.

Plerique eorum librorum qui vocis  $\delta\rho\tilde{\alpha}\nu$  usu insignes sunt, etiam rebus inter se continentur. Ii autem medici, quorum commentarios in libris Epidem. II IV VI coniunctos legimus, quibusdam libris partim servatis partim perditis ita usi sunt, ut eos exciperent et notis aut aliunde aut de suo depromptis augerent.

Haec satis certa esse mihi quidem videntur.

Sed quid inde ad eam quaestionem, quam de libri Π. í. v. cc. 14—17 et notulis instituimus? Scio nec nego ea, quae hac de re prolaturus sum, nondum tam certa esse, ut quemquam etiam invitum argumentis ad credendum cogere possim; tamen ea non prorsus a probabilitate aliena sunt. Monueram supra cc. 14/17 et adnotationes quattuor imprimis vocabulis insignes esse quae aliis locis in illa scriptione non legerentur:  $\delta\rho\tilde{\alpha}\nu$ , —  $\gamma\epsilon\ \mu\acute{\eta}\nu$ , ἴσως, πλεονάκις. Quorum nullum in Epidemiarum libris II IV VI deest; legimus:  $\delta\rho\tilde{\alpha}\nu$ : locos vide supra p. 52. ἴσως saepe: locos vide supra p. 18 a 2. πλεονάκις IV 57 (V 196, 6 L.). VI 8, 29 (V 354, 7. 8 L.). —  $\gamma\epsilon\ \mu\acute{\eta}\nu$  VI 3, 23 (V 304, 4 L.).

Accedunt quaedam res in doctrina medica positae. Supra enim comprobare studui in cc. 14/17 et adnotationibus nonnulla disciplinae Siciliensium vestigia esse; quod idem quadrare videtur ad hos Epidemiarum locos: VI 2, 25: ὅτι ἐν θερμότερῳ στερεωτέρῳ ἐν τοῖσι δεξιοῖσι καὶ μέλανες διὰ τοῦτο, καὶ ἔξω αἱ φλέβες μᾶλλον, cui loco Galenus in commentario (XVII a 1002 K.) hos Empedoclis versus adscripsit: ἐν γὰρ θερμότερῳ τοκάς ἄρρενος ἔπλετο γαστήρ · καὶ μέλανες διὰ τοῦτο καὶ ἀνδρωδέστεροι ἄνδρες καὶ λαχνήεντες μᾶλλον (vid. Vors. I<sup>2</sup> B 67; Littr. V p. 19); cui loco fortasse alter addendus est, quo si recte textus se habet (vid. apparat.) de perspiratione agi videtur: VI 6, 1: σάρκες ὀλκοὶ καὶ ἐκ

---

pura conscripta esse non posse (cf. Athen. mech. p. 10, 5 Wesch. Diels Laterc. Alexandr. Abh. Berl. Ak. 1904 p. 8); ab omnibus partibus recte iudicavit Dilesius Vors. II<sup>3</sup> 124 not.

κοιλίης καὶ ἔξωθεν. δῆλον ἢ αἰσθησίς, ὡς ἔκπνοον καὶ εἴσπνοον ὄλον τὸ σῶμα. Duo maniae genera distinguuntur sicut [Π. ἰ. ν.] 388, 12 sqq., ita Epid. IV 15: οὗτος παρέκρουσεν . . . τρόπον τὸν ἀκόλαστον· ἀνίστασθαι, μάχεσθαι, αἰσχρομυθεῖν ἰσχυρῶς· cf. ibd. c. 45; ibd. c. 17: κοσμίως παρέκρουσεν ἑβδομαῖος. cf. ibd. c. 55; cf. etiam II 3, 1: ἐν τούτοισι πολλοὶ κωματώδεις ἦσαν καὶ παράφοροι. οἱ δὲ ἐξ ὕπνων τοιοῦτοι ἐγένοντο· ὅτε δὲ ἐγερθεῖεν, κατενόουν πάντα. Deinde is qui Epid. II 4, 1 conscripsit aut intulit, venas ab arteriis distinxit; quod idem cc. 14/17 auctor fecit.

Itaque quadam cum cautione<sup>1)</sup> haud scio an eloqui liceat, non a probabilitate alienum esse, si credamus librum Π. ἰ. ν. et, si cum eius adnotationibus eae quoque coniungendae sunt, quae in libro Π. ἄ. leguntur, etiam librum Π. ἄ. a medicis huius collegii lectos suppletos adnotatos esse nec nisi eorum manibus pertractatos hos libros ad nos pervenisse.

Sed nunc cum ad finem totius opusculi pervenimus, non inutile videtur rem ita complecti, ut quae satis certa, probabilia, non reiectanea esse videantur, in praesentia vera esse ponamus, ut quid effectum sit, considerari possit.

1) neque enim desunt in Epidem. II IV VI placita quae nullo modo cum capitum 14/17 sententiis consociari possunt: vide praecipue haec: II 6, 19: φλὲψ ἔχει παχείη ἐν ἑκατέρῳ τιτθῷ· ταῦτα μέγιστον ἔχει μόριον συνέσιος· (Aphorism. V, 40 (IV 544 L.)) quocum coniungendum est ibd. 6, 15: δύναμιν πλείστην ἔχει τιτθός, ὀφθαλμὸς δεξιός, ταῦτά τῶν κάτω, καὶ ὅτι ἐμπέφυκε τοῖσι δεξιοῖσι τὰ ἄρσена et ibd. 6, 32: τῷ μέλλοντι μαίνεσθαι τόδε προσημαίνει· αἷμα συλλέγεται αὐτῷ ἐπὶ τοὺς τιτθούς; quae fere cum iis conveniunt, quae in libro Π. ὁ. φ. c. 8 ei venarum descriptioni adiecta sunt, quam apud Aristotelem Syennesi adtributam videmus: ἀπὸ δὲ τοῦ δεξιῦ τιτθοῦ ἐς τὸ ἀριστερόν ἰσχίον καὶ ἐς τὸ σκέλος· καὶ ἀπὸ τοῦ ἀριστεροῦ ἐς τὰ δεξιά· ὁ δὲ ὀφθαλμὸς ὁ δεξιὸς ἐκ τοῦ ἀριστεροῦ καὶ ὁ ὄρχις, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον ἐκ τοῦ δεξιῦ ὁ ἀριστερός.

nec minus discrepant haec: VI 8, 31: οἱ μελαγχολικοὶ καὶ ἐπιληπτικοὶ εἰώθασιν γίνεσθαι ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ· καὶ οἱ ἐπιληπτικοὶ μελαγχολικοί.

Haec tamen haud scio an apta non sint, quibus tota argumentatio labefactetur; nam diversis temporibus Epidemiarum notulas conscriptas esse verisimile esse iam supra monui.

Tum autem haec fere statui possunt.

Sub finem saeculi a. Chr. n. quinti medicus quidam, quem in septentrionali Ioniae parte vixisse haud veri dissimile est, librum cui Π. τόπων ἀέρων ὑδάτων inscribitur composuit. Postea alterum qui erat De morbo sacro. Uterque liber, fortasse haud multo post, in medicorum familiam pervenit, qui in urbibus Macedoniae et Thraciae artem exercebant quorumque commentariola medica, qualia cotidie in chartam coniciebant, mutilata et perturbata nobis conservata sunt. Sunt autem Epidemiarum libri II IV VI. Qui medici etiam aliorum librorum, quorum pars interiit, pars et ipsa mutila conservata nobis est, copia instructi his libris ita utebantur, ut eos legerent, exciperent, supplerent, corrigerent, notis instruerent. Illi autem libri cum describerentur, ut erant supplementis nescio quo modo additis sive maioribus sive minoribus aucti cumque id maxime ne quid periret caveretur, consociandi inter se interdum disparata munus haud semper bene cessit, atque inde formam librorum non raro miram explicari posse putarim; hac autem ratione formati vel potius deformati libri ad Alexandrinos pervenerunt. Neque vero nego praeter ea exemplaria quae possidebant illi, alia fuisse quae aliorum medicorum in manibus versabantur; sed, si vera sunt quae exposui, in Alexandrinorum bibliothecam haec librorum Hippocrateorum pars sive recta via sive multis ambagibus circumacta vix aliunde pervenire potuit atque ex eorum medicorum quos memoravi bibliotheca.

Neque id a verisimilitudine omnino abhorret, nam usque ad quarti saeculi vergentis tempora fere iisdem in regionibus medicorum sectam floruisse, Epidemiarum libris V et VII docemur.

Illam autem quae in Thraciae et Macedoniae urbibus artem exercuit, non quasi exulem atque ab ipsa Graeciae eruditione remotam fuisse, immo tum illas regiones doctis hominibus et scientiae deditis minime caruisse, vel inde cognosci potest, quod eadem aetate iisdem fere in locis

etiam clarissima illa philosophorum, quos atomistas dicimus, disciplina floruit<sup>1)</sup>. Quacum medicis his commercium aliquod mutuū fuisse, quamquam argumentis quibus quidem satis confidere liceat, demonstrari adhuc nequit, tamen haud a verisimilitudine remotum videtur: atque fortasse huius commercii sicut solet fere apud Graecos, homines narratiuncularum amantissimos, vestigia etiam nunc exstant in lepidis illis fabulis quibus epistulae quae Pseudhippocrateae dicuntur repletæ sunt.

Sed etiam alia in re conexus quidam et similitudo has inter sectas intercedere videtur. Namque in iis scriptis quae medicis illis tribui possunt, non ita raro placita inveniri, quae cum Siciliensium doctrina haud male congruant, compluribus locis supra adnotavi; neque talis commercii, quod inter Thraciae oras atque Siciliam Magnamque Graeciam statuendum est, vestigia apud atomistas desunt: immo et scholae instituendae rationem Leucippus ab Eleatis mutuatus videtur<sup>2)</sup> esse et ipsa in doctrina nonnulla quae aut illorum aut Empedoclis sentiis similia sunt, inveniuntur<sup>3)</sup>. Huic qui est cum atomistis conexu<sup>4)</sup>, si modo iam tali vocabulo in re adhuc satis obscura uti licet, fortasse aliquando alter in praesens etiam magis obscuratus addi poterit.

Namque vinculis quibusdam inter se coniunctas esse eas venarum descriptiones quas in libro Π. β. ϕ. c. 2—7

---

1) cf. etiam quae de Cleostrato Tenedio et Harpalo docuit Dilesius Laterc. Alexandr. p. 8 a. 8 et N. Jb. 1914 p. 3, et quae de Thrasyalca Thasio nuper monuit Capelle Herm. 48, 322 a. 1.

2) cf. quae exposuit Dilesius Festschrift für Zeller p. 260.

3) cf. e. g. Zeller 1<sup>a</sup> 771; 782.

4) Similia etiam scriptionum fata fuerunt; nam iam quarto saeculo, cum singuli disciplinae sectatores artissime inter se coniuncti tenerentur, Leucippus oblivione obrutus erat atque scripta eius nec minus haud paucorum aliorum qui eidem operae atque disciplinae se dederant, Democriti, quippe qui clarissimus eius sectae dux et princeps fuisset, nomine insignita circumferebantur, atque ita Alexandriam comportabantur. Nonne simillime in scriptis Hippocrateis quae dicuntur factum est? cf. Diels Acta philologorum Sedin. 1880 p. 99.

et 11—19 legimus atque eam quam Aristoteles in animalium historia proposuit, iam supra monui; nec minus notandum in referendis antiquiorum sententiis praeter Diogenis Apolloniatae doctrinam Aristotelem praecipue usum esse et Syennesis et Polybi quem dicit descriptionibus, sane ut videtur in brevius contractis; eadem autem in libro qui est De ossium natura reperiuntur, quem cum hac de qua res est medicorum secta coniunctum esse supra demonstrasse mihi videor: quin immo sermonem quo usus est Aristoteles in iis libris, quos de animalium natura conscripsit, haud dissimilem esse multis partibus ei, quem medici Iones adhibere solent, iam ab aliis observatum est; adde quod Aristotelis pater Nicomachus, Ἰατρικῶν et Φυσικῶν auctor, Amyntae Macedoniae regis medicus fuit; neque procul abest Stagirus ab urbe Acantho, in qua hos medicos interdum commoratos esse scimus: denuo vinculum quoddam si nonprehendimus, at certe quasi dispicimus ac fortasse hac de re altius perquisita aliquando certius aliquid statui poterit.

Sed tandem suspicando et divinando finem imponamus; namque haec omnia adhuc opiniones nondum satis firmatae sunt. Sed ut his de rebus confidentius iudicari possit, quid faciendum videatur, paucis adumbrare liceat.

Primum libros Epidemiarum II IV VI ita perquiri atque disponi opus est, ut internosci possit quaenam partes doctrina aetate sermone inter se conexas sint; tum etiam de adnotationum libris II. ἰ. ν. et II. ἄ. additarum auctore aliquanto certius iudicare licebit.

Idem deinde praestandum erit in libris Epidemiarum V VII; primum, ut quaenam fuerit huius sectae doctrina sciamus (chirurgiae praecipue operam dedisse videntur), tum, ut quinam libri Hippocratei huic notarum collectioni adnectendi sint — sunt autem tales, id mihi persuasum est — dignoscamus.

Tum ut, quod iam Ilbergius postulavit, e libris qui sunt II. νόσ. II et II. τ. ἐντ. παθῶν nec non II. ἐβδομάδων et II. νόσων III de sententiis Cnidiis certius aliquid

enucleetur; monendum enim est in ultimo libri Π. νούσων II capite, quod quam facile addi potuerit apparet, verbum δρᾶν, quod in omnibus reliquis huius familiae libris deest, occurrere.

Denique ut epistolae quae Pseudhippocrateae dicuntur, diligenter perquirantur, ut quam aetate conscriptae sint, sciamus et quidnam veri his fabellis subsit, si fieri potest, intellegamus<sup>1</sup>).

Omnia autem haec sane magni laboris et patientiae sunt; sed ‚multi pertransibunt et augebitur scientia’.

---

### Eorum capitum quae hic publici iuris non fiunt brevis adumbratio.

I. 1. inquiritur in codicum recentiorum indolem, qui partim e codicis M, partim e codicis Θ memoria originem duxerunt. Itaque ad textum recensendum pretium habent nullum; neque maioris momenti est editio Aldina a Littreo nimis magni aestimata.

2. agitur de codice Marciano M, quo repraesentatur editio ab homine haud indocto sed violento nescio quando parata, qui usus est antiquiore quodam codice a codice Vindobonensi Θ haud absimili, attamen diversam ut videtur textus recensionem exhibente.

3. ipse codex Θ descriptus est diligentissime de exemplari antiquissimo litteris maiusculis interdum iam iamque evanescentibus nulla verborum distinctione adhibita exarato, quod exemplar VII. p. Chr. n. saeculo fortasse antiquius fuit.

---

1) huic muneri deditum se esse indicavit nuperrime Gualtharius Putzger in programmatis, quod supra p. 32 a. 1 commemoravi, praefatione.

4. Eandem textus recensionem, quae nobis codice Vindobonensi traditur, manibus tenuerunt iam Galenus (XVIII 1, 356 K.) et Soranus (Cael. Aurelian. morb. diurn. I 4 p. 319 Amm.).

5. aliter res se habet primo p. Chr. n. saeculo; nam textum a nostro haud paucis partibus diversum legisse videntur et Erotianus et is qui Epistulam Pseudhippocrateam 19 conscripsit, quem primo p. Chr. n. saeculo anteriorem fuisse credo.

6. Itaque primo p. Chr. n. s. exeunte aut ineunte altero eas editiones, quibus nostri codices nituntur, paratas esse puto; nec quid Artemidori Capitonis editioni debeatur, nimis parvi aestimandum est.

## II. de dialecto quaestiones selectae.

1. de formis pronominum et coniunctionum aut  $\pi$  aut  $\kappa$  insignitis ( $\delta\pi\omega\varsigma$  :  $\delta\kappa\omega\varsigma$  etc.).

2. de praepositionis  $\sigma\upsilon\upsilon$   $\xi\upsilon\upsilon$  formis inter se variantibus.

3. de vocali  $o$  et diphthongo  $ou$  inter se mutatis ( $\nu\omicron\upsilon$ - $\sigma\alpha\varsigma$  :  $\nu\acute{o}\sigma\eta\mu\alpha$  etc.).

4. de pronomine  $\kappa\epsilon\acute{\iota}\nu\omicron\varsigma$ ,  $\acute{\epsilon}\kappa\epsilon\acute{\iota}\nu\omicron\varsigma$ .

5. de  $\pi\lambda\acute{\epsilon}\omicron\nu$   $\pi\lambda\acute{\epsilon}\omicron\nu\alpha$   $\pi\lambda\epsilon\acute{\iota}\omega$ .

6. de genitivis pluralibus declinationis primae.

7. de dativis pluralibus aut longis aut decurtatis (ante consonas longi ubique restituendi; ante vocales fortasse longi  $\nu$   $\acute{\epsilon}\varphi\epsilon\lambda\kappa\upsilon\sigma\tau\iota\kappa\tilde{\omega}$  omisso scribendi).

8. de formis verborum in  $-\epsilon\omega$  desinentium aut contractis aut distractis.

9. de verbis in  $-\acute{\alpha}\omega$  exeuntibus; formae in  $-\gamma\eta$  falso contractae perantiquae sunt: Schol. Iliad. A 198. Similia cf. Diels Parmenides p. 113; cp. II.  $\kappa\alpha\rho\delta\acute{\iota}\eta\varsigma$  c. 1 (IX p. 80 L.).

III. Hippocratis qui fertur De morbo sacro libellus ad codicum  $\Theta$  et  $M$  fidem recensitus, testimoniis, adnotatione critica instructus.

IV a. commentarii critici in cc. 1—13 + 18 pertinentis pars prior, qua de lectionibus aut probandis aut re-



probandis, de singulis locis aut defendendis aut emendandis agitur.

IV b. commentarii critici pars altera: de adnotationibus libello Π. ἰ. ν. adscriptis = huius dissertationis caput primum.

(p. 382, 12 L. non nisi haec secludo: ὁπότεν χρόνος ἐγγένηται τῇ νόσῳ, οὐδέτι ἰάσιμος (sic Θ!) γίνεται. tum cum Wilamowitzio v. 16—18.)

V. inquiritur in cc. 14—17 a Wilamowitzio suo iure seposita.

1. de singulis nonnullis locis.

2. de horum capitum indole.

3. de mantissae auctore ab auctore libri Π. ἰ. ν. diverso.

4. Curnam haec capita addita sint.

} huius dissertationis  
caput alterum.

VI. de libri Π. ἰ. ν. doctrina quaestiones selectae.

1. de venarum situ et descriptione. cp. huius dissertationis caput alterum.

2. de spiritus (πνεύματος) via et munere.

a. de Siciliensium sentiis; in Empedoclis doctrina anima et calor cum sanguine coniuncta sunt; respiratione calor refrigeratur; quae de pneumate Empedocles protulit, huc non pertinent.

Philistionis sententia e libro qui est Π. καρδίης, Menonis excerptis medicis, Platonis in Timaeo placitis recuperatur: sanguis natura frigidus; insitus calor a sanguine diremptus animae principium; spiritus (πνεῦμα) refrigerat et venarum pulsum excitat; breviter de Diocle et Aristotele exponitur. Apud Sicilienses respirationis munus non tam in animando, quam in insito calore refrigerando consistit; animae principium aut sanguis aut insitus calor aut spiritus innatus.

b. de Diogene Apolloniata; minoris apud eum momenti calor insitus; respiratione facta calor refrigeratur, sed praecipue corpus animatur.

c. libellus qui est De morbo sacro cum Diogenis sententia congruere videtur.

d. de animae regiminis sede.

3. de libelli Π. i. v. et mantissae pathologia.

VII. Quae ratio intercedat inter libellum Π. i. v. et librum qui est De aere aquis locis; summam rei breviter expositam habes in huius dissertationis capitis primi parte altera.

VIII. de adnotationum inter se conexu et origine = huius dissertationis caput tertium.

---

## VITA.

Natus sum Otto Regenbogen a. d. XVI. Kal. Mart. a. 1891 in Silesiae oppidulo, cui nomen est Neumarkt, patre Otto, qui nunc in Academia Veterinaria Berolinensi professoris ordinarii munere fungitur, matre Carolina e gente Spies oriunda. Fidei addictus sum evangelicae.

Ab anno 1900 per novem annos gymnasium Fridericianum Berolinense frequentavi, ubi cum alii praeceptores, tum Henricus Buermann, Ioannes Fischer, Adolfus Trendelenburg optime de me meriti sunt. Maturitatis testimonio instructus inde ab anno 1909 aliam matrem Berolinensem adii per duo semestria, ut studiis philologis operam navarem, deinde Gottingam me contuli, unde, cum per sex menses studiis obsecutus essem, Berolinum redii.

Docuerunt me viri docti Diels, Erdmann, Frickenhaus, Friedländer, Harnack, Helm, Heusler, Lasson, Leo (†), Loeschcke, Meister, E. Meyer, R. M. Meyer, Mutschmann, Norden, Pohlenz, Riehl, Roethe, E. Schmidt (†), E. Schröder, W. Schulze, Simmel, Vahlen (†), Wackernagel, Wendland, U. de Wilamowitz-Moellendorff.

Proseminariis philologis (II et I) Wilamowitzii et Meisteri per singula semestria interfui, deinde per VI menses et seminario II Wendlandi et proseminario I Nordeni; tum per quattuor semestria, quorum per unum valetudine impedito studiis vacare mihi non licuit, seminarii Berolinensis sodalis fui. Ut exercitationibus lin-



3 0112 106067074

guisticis interesset, benigne permisit Jacobus Wackernagel.

Quibus praeceptoribus omnibus magnam habeo gratiam; at Dilesio Nordeno Wilamowitzio quid debeam, quamquam verbis digne eloqui nequeo, grata piaque per totam vitam memoria tenebo.

Examen rigorosum habitum est a. d. XI. Kal. Mart. a. 1914.

---